

zione, *) hic loci nihil attinet dicere. Satis fit, hominem iis suis Corollariis, Doctrinâque, unde illa sponte, atque viâ abs se quodammodo demonstratâ fluunt, anglicano accedere systemati, quod vult, *Ecclesiam Potestati Civili subesse. Conf. Declaratio pag. 10. Edis. in 4^o.*

Corollarium igitur meum, quod & Eminentiſſimi Card. Archiepiscopi, est, secundum Ecclesiæ Catholicæ Principia Scholam Bonnensem hoc in Punctu justam non ferre crisin.

§. II.

Antequam pergamus, orbi Literario certum esse volo, Doctores in Præfatione nominatos in verba *Philippi Hedderichii* planè jurasse, ut adeo, ejus retulisse sententiam, sit omnium retulisse. Ipsam hominis salivam lambunt *serva pecora*, atque societate, ut factiosi, aliquâ junguntur, ut, quod disjuncti non possunt, unitis præstent Viribus, Rom. scilicet Pontificem suis Episcopis, hosque illi *summo ex asse æquent.*

Audiamus IVViros ad Quæstiones Card. Archiepiscopi mechliniensis respondentes, ut, quàm Verus sim, statim omnium se se offerat oculis.
Quæ-

*) Vid. Carrichius pag. 435.

Quæstio I. 2^a Aprilis proposita, erat hæc: *In quo Consistit Primatus summi Pontificis? Quid ad hanc Froitzheimius? In solo Jure supplendi; ait enim pag. 66. suæ Dissert. inauguralis 4) Episcopos à Deo institutos cum suâ potestate & jurisdictione, non esse simpliciter inferiores Pontifici, sed cum hoc simul à Christo esse institutos, ut regant Ecclesiam Dei; igitur secundum Institutionem Christi sunt simul CONREGENTES & FRATRES PAPE, cui tantum subordinati existunt, si exercitio suæ potestatis et ministerii desint. Quid Hedderichius ad eandem? In imaginatione, non reapse; dicit enim pag. 75. Historiæ genericæ Univers. Bonn. in Not. III) Ex his ad Evidentiam usque manifestum redditur, nequidem Leges, ac Literas papales jam Anno 1645 sine consensu & acceptatione Archiepiscopi nostri potuisse publicari. Quid præcipiat mihi ille, cujus leges & Literæ, si nolim, nullæ sunt? Ille primatum præ & in me habeat? Annon itâ tantumdem apud Archiepiscopos nostros Valerent Literæ legesque Magni Moguli, ac illæ Rom. Pontificis? Quæ parendi necessitas, ubi liberissima facti Voluntas? Primatus Rom. Pontificis ergo ex Hedderichianâ Declamatione nullus est, & quæstio de eodem à Card. Archiepiscopo instituta de subjecto, ut ajunt, non supponente. Quid Weimerus? In Cornibus Lunæ, quæ, quamvis appareant, nulla sunt; quod enim, inquit in Ex-*

ordio suppressarum ab Universitate Colon. suarum
 Thesium, *hic soli Petro ad primatum inter Conve-*
gentes indigitandum dictum est, idem (NB. idem)
aliis in Locis Christus omnibus Apostolis inculcavit. Si
 ita, Episcopi Pontifice prope superiores sunt; quod
 enim Petro dictum est, solummodoque *dictum est,*
 id Apostolis *inulcarum fuit.* Quod autem dicitur,
 tantumque dicitur, non tam pertinaciter hæret,
 manetque, ac id, quod omni Potestatis pondere,
 quod pedibus, quod omni vi inculcatur, *sudibus-*
que præstis. Verum ubi ulli è reliquis Apосто-
 lis, non dico, eadem, sed vel similis facta est pro-
 missio? Cui aliquando dixit, *super Te edificabo*
Ecclesiam meam? Nomina Tu illum alium Aposto-
 lum! indica Locum, Versum, lineam, ut doceamur
 & nos, quod hætenus nescivimus. Petro
 Christus dixit, *Tu es Petrus, & super hanc Pe-*
rram edificabo Ecclesiam meam; quod autem hic
 soli Petro dictum est, hoc *idemque aliis in Locis*
Christus apostolis inculcavit, ut scripsisti Tu, &
 fatearis, necesse est. Ubi jam illi alii Loci, in
 quibus inculcavit ipsis, eos esse *Petros,* & his
Petris se suam inædificaturum Ecclesiam? Vide
 Doctor, nisi eos ostenderis nobis, in Evangelioque
 ostenderis, non in opusculo quodam Sodalium
 tuorum Bullas pontificias Cudentium, aut Ru-
 prechtos, Schenkeliósque Corruptentium, Te fal-
 sum fallentem, Te mendacem mentientem, Te le-
 vem

ven levissimamque compellabimus Paleam. Ubi vero invenies? Parce Labori; Evangelium nobis notius est, quàm Tibi & tuo, unde ista habes, *Riggerio*. Nullibi. Et nominis igitur Variatio, & ista *Petræ* Destinatio peculiare sunt *Petri* Prærogativæ, prorsusque singulares ipsi à Deo datæ Dotes, ex quibus nihil Andreas, nihil filii Zebedæi, nihil Philippus, nihil filii Alphæi, nihil sibi denique decerpunt alii. Ais, nonne *superadificari super fundamentum Apostolorum*? R. Et *Prophetarum*. Quid jam? Demum quid *SPITZIVS* de Primatu Pontificis? Ut *Cæteri*, non est, nullus est; non enim, ait *Cap. 2. §. 3. Dissert. nuperæ, agnita R. P. Jurisdictio immediata in subditos aliorum Episcoporum*. Mediata igitur? Neque hæc; ex Numero enim 3. hujus §. 3. *Episcopus Rom. respectu ad aliorum Episcoporum subditos Censetur à SPITZIO EXTRANEUS*. Qualis ergo? Nulla, prorsus nulla. O præclaros Viros! quantum bonæ scientiæ non perdidit ille, qui Vos audire non potuit!

Quæstio II. eâdem 2â Aprilis 1789 Doctoribus Iovaniensibus proposita hæc erat: *An Pontifex jure divino habeat primatum Jurisdictionis in Universam Ecclesiam, & in singulos Episcopos*? Audiamus Iò *Hedderichium*, qui sine *Cæterorum* invidiâ scholæ *Honn.* Primatum, nescio, quibus meritis possidet. „A sæculo IV usque ad VIII, inquit pag. 68 *Historiæ genericæ*, „& tempore *S. Boni-*
 „facii

„faci Ecclesiæ nostræ alia legum sacrarum Collec-
 „tio non erat usui, quàm quæ continebat Cano-
 „nes Conciliorum tam Universalium tum particu-
 „larium orientis, nec non Regum, quibus sube-
 „rat, *Capitularia*. Quis autem ignorat in his
 „Jura Episcoporum, Metropolitanarum ac Synodo-
 „rum provincialium conservari integra? *Nihil de*
 „*immediatâ quâdam Ecclesiæ Romanæ in alias in-*
 „*feriores Potestate, nihil de Jurisdictione Legato-*
 „*rum ejusdem Sedis in Ecclesiis exteris exercitâ,*
 „*nil de Appellationibus ultramontanis, nil de Dif-*
 „*pensationibus atque Exemptionibus inde impetrandis*
 „*legitur.*” Adamante durior fit, qui ad hæc
 mendacia non rumpatur: & talpâ cæcior, qui,
 omnem Pontifici in Universam Ecclesiam, singu-
 losque ejusdem Episcopos istâ Sæculorum Quater-
 nione negari Jurisdictionem, non viderit. Si nihil
 illo tempore de immediatâ quâdam Rom. Ecclesiæ
 in alias inferiores Potestate Ecclesiasticis legatur in
 Monumentis, quare Tu illas alias ipse *inferiores*
 scripsisti? An invito Tibi Veritas hoc expressit
 Epitheton? Nihilne tempore S. Bonifacii de im-
 mediatâ quâdam Rom. Ecclesiæ in alias Potestate?
 Quid igitur sequentia ex insigni quodam ipsius
 BONIFACII Fragmento, quod NICOLAUS SERARIUS
 (*Rer. Moguntin. Lib. 3. pag. 563*) ex Vetustâ
 Cardinalis *Deusdedit* Collectione Canonum edidit:
Hæc (sancta romana Ecclesia privilegio specialis
aucto-

auctoritatis divinitus & humanitus Caput omnium
 Ecclesiarum post Christum Jesum effecta) hæc,
 inquam, cum omnium fidelium in Christo spiritua-
 lis sit mater, NEMO DEBET RENUERE ILLIUS FERIRE
 DISCIPLINA VEL EMENDARI CENSURA? Nihil hoc?
 Confessi sumus, inquit Tom. I. Conc. Germ. pag.
 67. ad Cudbertum Archiep., fidem Catholicam, &
 Unitatem & subjectionem romanæ Ecclesiæ finitimus
 Vita nostra velle servare sancto Petro, & Vicario
 ejus velle subjici, — & per omnia præcepta Petri
 Canonicè sequi desiderare, ut inter oves sibi Com-
 mendas uumeremur. Et isti Confessioni Universi
 consensimus, (loquitur de Synodo quâdam à se
 celebratâ) & subscripsimus, & ad Corpus S. Petri
 principis Apostolorum direximus. Nihilne pariter
 hoc? Annon itâ cum ad Quæst. I. Tom. III.
 Concordatorum respondente, ad quem in Notis
 provocasti, totus profligatus es? — Nihil, per-
 gis, de jurisdictione Legatorum ejusdem Sedis in
 Ecclesiis exteris exercitâ. Atqui multa de juris-
 dictione ejusmodi Legatorum leges in Responsione
 Pii VI ad IV Archiepiscopos, quæ Trevirensi
 Lacrimas elicuit: Te, utinam, ad pœnitentiam
 moveret! mitto cætera, quippe quæ nimium falsa
 sunt, & disjecta invenies in de Appellationibus in
 Ecclesiasticis Tribunalibus genuino Systemate tuis
 ex professo Erroribus opposito. 1789.

Deblateret jam *Spiritus*; ad id enim Volubilis ejus nata lingua est, non ad, ut Virum decet, docendum. Qui — quid igi — igitur ille? Quid puerilis Vox? *Quàm procul*, ait in adductâ *Dissert.* pag. 22., itaque aberant *Patres Aquisgranenses*, ut *Episcopo romano jurisdictionem immediatam in subditos aliorum Episcoporum adjudicandam Censerent?* — Pusille homo! injuriam non faciam Tibi; sed dicam tantum, oris si tam acutuli fuisset ego, *Fistulæ* illud satius duxissem inflandæ, quàm *doctorali infibilandæ Cathedræ*. Quàm Tu procul à *S. Bernardo*, qui ex sententiâ Christi singulas Pontifici Christiani gregis oviculas subjectas esse docebat? Quàm procul à mente *Aquisgranensium?* Quàm ab ipso *Hedderichio* juniore procul! lege, amabo Te, *Part. I. Element.* pag. 20. ubi ait: „*Subjungit Dominus PASCE OVES MEAS; cum itaque Interrogatio Christi AD SOLUM PETRUM cum exclusione aliorum tum presentium Apostolorum (notet sibi hæc etiam Weimerus) dirigatur, sponte sequitur, ut in Responso Christi, in verbo PASCENDI præter pastorem omnibus Apostolis communem, cura quædam & Potestas SOLI PETRO propria, & in ipsos Apostolos, si res pesceret, exercenda, contenta intelligatur, siquidem & ipsi Apostoli essent oves Christi.* *Fistulam*, amabo Te magis, recipe, & dimitte *Epomidem!* aut, si mavis, *conchas* adde *Epomidi*, & *Compostellam* proficiscere,

cere, ut Romam transiens Romæ à peccatis tuæ
absolvaris Ignorantiæ, quæ, si quis Doctor com-
miserit, in magnâ Aquisgranensium Synodo Papa
reservari potuissent, ut nôrunt omnes, quotquot
Bonnæ sunt promoti sine Doctore Magistri. Quàm
ipse Hedderichius senior procul à se juvene! quàm
demum innocens hic ab illo procul nocentissimo!

Joanni Copronymo, quoniam Hontbenio à
mensis fuit, tertius nunc cedit locus, illéque ex
summis, quæ ex Coprophoriâ istâ habet, meritis.
Quid Primatus S. Pontificis apud illum? Multum
per omnem modum. *Primatus*, inquit in suo *Com-
mentario in Const. & Basil. Concilia* pag. 130., ille
divinitus institutus, eodemque jure in successores trans-
fusus, non est meri honoris, & autoritatis; sed &
veræ Jurisdictionis, quæ per universam se se exten-
dit Ecclesiam. Bene belle! Ast, pergit, quo modo
se extendit? Non immediate; sed ut unitas servetur,
& canones custodiantur. Hinc si Episcopus à spi-
ritu sancto positus suam rite administret Diocesim,
Primatus, quod agat, non habet: tum enim Papa
cum suo Prædecessore Gregorio M. ait: ubi nulla
subest culpa, omnes aequales sumus. Hinc præpos-
teras Ideas habent illi, qui omnia, quæ curia romana
sensim ad se adraxit, ex Primatu deducunt, velu-
ti sunt jus dispensandi in legibus Ecclesiæ generali-
bus, jus mittendi Nuncios cum facultatibus & ju-
risdic.

risdiçtione in Tribunali in Episcoporum Diœcesibus erecto exercendis. Quid intelligis nomine universæ Ecclesiæ, in quam se se extendat ille veræ jurisdictionis Primatus? Plebem? Non; illa enim suis subest Episcopis, & ex istâ nemo, qui peccaverit, etiamsi poenituerit, ab Extraneo, qualis etiam, ut Spitzio, Froitzheimiôque placet, rom. Pontifex est, absolvi potest Episcopo. Presbyteros? non; Presbyterorum quoque & sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellet sanctitas tua! itâ, ut rogarunt Africani à Cœlestino, vos imperatis Pio VI. Episcopos? Neque hos; Decreta enim nicæna sive inferioris gradûs Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis aperitissimè commiserunt. Metropolitanas, Primates, Patriarchas? Ne hos quidem, nisi in uno unico, quo illi unitatem turbarent Ecclesiæ, casu. Mirabilis jurisdictione in universam Ecclesiam & in ejusdem universæ Ecclesiæ vix tria, quatuorve membra! Cùm legerem veræ jurisdictionis, quæ per universam se se extendit Ecclesiam, amphora, cogitabam, cepit institui, sed, cùm pergerem legere, quærere debebam, cur Urceus exit? Christe Jesu! cum tu Petro diceres pasce oves meas, an tres quatuorve tantùm hædos tuis ex ovibus designabas? Quot, quas, & an vel unam excepisti? an cum tuæ essent omnes, non omnes facti sint Petri? — Interpreter etiam nunc illud non immediatè? Sic ergo habendum. Quoties turban-

turbandæ in Ecclesiâ sanctâ Dei unitatis vel periculum est, vel unitas hæc reapse turbatur, Pontificis est, Metropolitanis præcipere, ut periculum istud vel prævertant, vel turbatam restituant unitatem. Numquid itâ ad mentem systematis novi? planè. Citi-
mam igitur proximamque Potestatem Pontifex in solos habet Metropolitanas, reliquis Ecclesiæ membris, sub suis Metropolitanis &, ut ajunt, respectivè Episcopis, persistentibus. Caterùm pacata si sint omnia, Primatus ille, quamvis divinitus institutus, & veræ alioquin Jurisdictionis, otiosa res est, quia, *quod agat, non habet*. Salvâ porro istâ unitate, inter Pontificem & metropolitanas, inter metropolitanas & Episcopos perfecta obtinet *æqualitas*. Neque necesse est, ad tollendam hanc omnium æqualitatem, aut provocandam in se Pontificis jurisdictionem, ut Episcopus ritè suam obeat Dioecesin; satis est, unitatem si non turbaverit; bono enim *solius unitatis* ille veræ Jurisdictionis Primatu institutus est, ut centies illi IVViri crepant. Quot autem cationes perfringere potest Episcopus, antequam unitatem in *Essentialibus*, quæ pariter illorum hominum in hisce rebus frequentata vox est, schismate aut heresi turbet? subactus igitur Weimerus nondum satis est systemati sodalium suorum novo, quod ipse unitatis Conservationi Canonum addiderit custodiam. Si, quoties Tridentini Canones ab Episcopis vel planè negliguntur, vel ab iis in eod-

dem apertè peccatur, exereret se se ille *vera Jurisdictionis Primatus pontificius*, & in Episcopos quoscunque se exereret, Nunciorum mittendorum, qui ista peccata referrent, non esset finis. Siquid igitur à Weimero rectè unquam scriptum fuit, hoc est, præposteras eos habere ideas, qui ex tam macilento jurisdictionis tam accifæ Primatu pinguißima deducunt Corrolaria, veluti sunt, jus dispensandi &c. &c.

Sed interpretari desinam, ut, quantum istâ sua Primatûs circumscriptione errarit, demonstrarem. Ad hominem homini loquar. Ecclesiam aciem esse bene ordinatam, phrasis est satis sacra: Copiarum unus solet esse Præfectus, quem arreptâ ex hocce tempore occasione LAUDONIUM appellabimus. Habet ille in universum Cæsaris Exercitum veræ jurisdictionis Primatum. Quæras nunc vel à Laudonio vel ab ipso Cæsare, *quo modo se extendat* ille Primatus? an respondebitur tibi vel ab hoc vel ab illo: *non immediatè*? an eò tantùm præfectus sit Laudonius, ut unitatem Exercitûs Cæsarei seruet? ut tractandorum custodiatur norma armorum? an ad nihil præterea? satisne, Exercitum esse unum? an si minores à Cæsare constituti Centuriones, & legionum Præfecti suas ritè obeant stationes, Laudonius, quod agat, non habet? an peccante militum nemine dicet, *omnes aequales sumus*? Weimero!

re! quàm obfidendo *Bellogrado* tu nuper ineptus fuiffes? an tibi ex Campo martio jam dudum revocato Cæfar, demtâ galeâ, femineam non impofuiffet Mitram? Delirans profectò annus miseris de rebus hujusmodi garrere non poffet. Laudonius nofter an non habeat jus, difpensandi in Legibus Cæfareæ Militiæ generalibus? Mittendi Legatam ad cæteros Copiarum Præfectos cum facultatibus quibuscunque, & jurifdictione etiam, fi necesse fit, exercendâ? Aufitne Metropolita *Coburgius* in fuos immediatam Laudonio negare Jurifdictionem? Leges & Literas Laudonianas non publicare? An, quod Laudonio à Cæfare dictum est, cum omni ejus Exercitui & Rei bellicæ præficeretur, etiam aliis ejusdem Exercitûs Præfectis inculcatum fuit? An, ut veftra tandem Impudentia inter gentes audita nunquam appareat, quaro, an vel ulli è Cæfaris militi, cujus demum cunque Legionis ille fuerit, ea ftolida inciderit cogitatio, quâ Laudonium *EXTRANEUM* Vocitaret hominem, cujus nullum in fe fit Imperium?

Ut habet ergo Laudonius jure fibi à Cæfare concesso Primatum Jurifdictionis in univerfas ejusdem Cæfaris Copias, & in fingulos earundem Præfectos: itâ D. Petri Successor &c. &c. Quemadmodum porro ille Laudonii Primatus *non foli* conſervandæ Exercitûs Cæfarei *Unitati* destinatus est,

itâ neque ille rom. Pontificis. Sitne Ecclesia minus *sancta*, quàm *una*? Quid sine sanctitate Unitas? Quid Exercitus Cæsarei Unitas, nisi exacta ad Jussa Laudonii accesserit pugna? Collectis in unum Copiis non vicisset abscissè ille dierum nostrorum Hannibal; sed præterea necessum erat, ordinare Exercitum, singulis quamvis à Cæsare creatis immediatè Præfectis suas assignare stationes, id imperare operis, præcipere, eò dirigerentur Tormenta, ibi procederetur, illic occuparetur murus, hîc jacerentur globi ignei, ibi magna fieret Ruina, quâ demum intraret omnis copiarum Vis, hostem ut aut trucidaret, aut caperet, aut ad Deditionem compelleret. Quot interim Nuncii abibant, rediebântque, hi, quâ res agerentur, narrantes, illi nova jussa ferentes! Tempore belli, inquis, itâ quidem fit, sed & Pacis non item. Respondeo, Laudonius non à belli pacifve tempore suâ fruitur potestate sed à Cæsare, sicut Petrus à Christo. Atque, ne, ut moris est apud vos, mihi objiciatis, Christum non ad Iconem terreni cujusdam Imperii suam conformasse Ecclesiam, ad comitia gallicana 1765 habita Vos ablego: Loquuntur ibi Præsules de duplici sacrâ civiliqve Potestate, & de utrâque enunciant: *qualibet liberrimâ jurisdictione res ordinat suas, quælibet ex se auxilia & Vires habet.* Hæc, si docilis sis, & noveris, ne familiam quidem aliquam, - ut ut paucas ista etiam
com-

complectatur personas, sine uno, qui cæteris præcipiat, & cui cæteri obedire teneantur, Patre esse posse, satis sunt, ut æquè intelligas, Ecclesiam sine Papâ jurisdictionem in omnes & singulos Christiani nominis homines habente esse non posse.

Piget *Froitzheimii* sententiam pone adjicere; balat enim ovis ista, sequiturque sequentes hædum, qui pater præit. Sed, ne queratur, à me ita se contemni, & ex nato inde tædio Tabernam iterum adeat, hospitiq; suo suavissimo mane redux, quia fores non statim ad imperium ebrii aperiantur, diverberet fenestras, ac ungues ita suas cruentet, id à me honoris habebit, ne nomen ejus è Sodalium numero expunctum audiatur. Ergo quid ille boni ad Quæstionem Card. Archiepiscopi habet?

§. IIum Dissertationis suæ inauguralis ità inscribit: PETRI ET CÆTERORUM APOSTOLORUM EADEM ET ÆQUALIS POTESTAS. Horrent mihi pili. Non uni soli Apostolorum rerum ordinandarum summam & Potestatis plenitudinem concessit, sed autoritatem eandem, Potestatem æqualem per commissorium generale post Resurrectionem suam Christus largitus est Apostolis suis, mittens eosdem PARI POTESTATE INSTRUCTOS, mitto Vos, sicut misit me

B 3

Vivens

Vivens Pater. Misit, sed ubi pari & æquali instruxit Potestate? Ubi legisti hoc? Misit & Cæsar cum Laudonio reliquos, sed non pari, non æquali eos induit autoritate. Quæ alioquin rerum confusio? *Omnes ad idem munus missi eandem Potestatem, eandem facultatem docendi, prædicandi, regendi sortiti fuerunt,* pergit novissimus Doctor, probátque Versu: *accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata.* Nihil hic loci de docendi, prædicandi, regendique facultate, ut omnium oculi testabuntur; de solâ ligandi, solvendique Potestate sermo est; quæ vero hujus potestas sit phrasios, ex *Taddæo* etiam prope Vestro nosti, quia legisti. Jus admittendi quempiam in Ecclesiam, aut ab eadem repellendi, qui solus, si *Taddæo* credimus, istorum Verborum significatus est, Janitoris quidem alicujus esse potest, Doctoris, Prædicatoris, aut veri Rectoris non item.

Petro itaque præ cæteris Apostolis amplior solvendi ligandive potestas, prosequitur homo novus, reservata non fuit, sed erant consimiles Fratres in eodem ministerio. Provocat Exegeta ineptissimus hic ad Capitis XXX. V. 8. apud Matth. qui XXVIII Capiribus totus absolvitur. Hem! quàm adcuratè! si iis apud Joannem verbis, *quorum remiseritis peccata,* Petro præ cæteris amplior quædam potestas reservata non fuit, an demta igitur, siquam
alibi

alibi ampliorem modo acceperit? Erant confimiles in eodem ministerio Fratres, ut Gregorius M. suprâ apud *Weimerum* explicat, h. e. omnibus sua agentibus Petrus ex humilitate fratrem, & sicut unum ex illis exhibebat se se, imitans Christum Dominum, quem, si itâ argumentari tibi liceat, facili, similique negotio etiam Apostolis æquabis.

Si verò Frater deviare, non Petrus, sed Ecclesia monebat, corripiebat. Non Petrus? Quid ergo hæc Christi Verba: *vade & corripe eum inter Te & ipsum solum?* An Ægyptiacis palpebras in tenebris? Non Petrus? Atqui & Petrus solus, & cum uno, vel duobus testibus Petrus, & iterum Petrus cum Ecclesiâ, ut palam est. Doctorem miserrime! Tuî nisi misereret me, nescirem, cujus miserere me unquam oporteret. An Te nunquam clam corripuit Professor tuus, cum juvenis esses, & inferioribus in scholis contra bonos peccares mores? Corripuit. An cum Delictum iterares, non iterum monuit? Et hoc. An cum Tu, aut alius pergeretis peccare, testem non adhibuit alium Professore? Etiam. An demum, nondum sequente Emendatione, ad publicam in schola itum non fuit correptionem? Fuit. Et hac denique effectum non fortiente suum, quid? Proscriptio. En omnem correptionis œconomiam, ut hæc quidem hic loci à Salvatore præscripta

fuit! quis nunc monuit, corripuitque? Magister, an schola? Petrus, an Ecclesia? Quid hic schola, quid Ecclesia? Pudoris amplificandi, & correptionis hinc efficacius reddendæ gratia, ut ego quidem rem intollo.

Quisunque ergo circumdatus infirmitatibus humanis, etiam Petrus, ejusque Successor, si ob hæresin, schisma, aliosve mores dissolutos causaret offensionem, hanc methodum correctionis sustinere teneretur (teneretur, debuisses scribere); quod factò ostendens Paulus resitit Petro in faciem. Ità est, charissime! teneretur. Viden, me non adulari? Sed quare, Exemplo ab Emfensibus, teque tuisque fratribus petito, rem hanc etiam, ut poterat, non illustrasti? Monitus est modo aliquis fratrum tuorum à Petri Successore: moniti atque correpti sunt quoque quatuor Archiepiscopi: monitus & est Pistoriensis: Monito, correptioque etiam multis in Ecclesia innotuit, quid fiet, nisi resipuerint? Tu dixisti, & dicis amplius, cum ità pergis: firmata est & confirmata in hoc textu præadsignato definiendi, statuendi, judicandi, decernendi, coercendi, & procedendi ad anathema usque Potestas Apostolis omnibus ex æquo competens. Ex æquo competens? Omnibus? Ergo & singulis? Uni etiam? Ità. Omnibus ex æquo. Jam, rogo te, ut hujus rei vel unum unicum in omni, quâ latè patet, Ecclesia

fiæ Historia ostendas Exemplum. Ubi, quando, quis Episcoporum ista omnia in ullam è pessimis rom. Pontificum sibi sumpfit? Honorio dictum esse anathema, legi, ab uno dictum, non legi, non legit alius. A Concilio ità in Pontificem ejusmodi animadverti posse, non disputo, ab uno Episcopo posse, nego. Eòne etiam pertigerunt Constantienses, Basileensésque? Ait porro:

Omnes eàdem legatione fungentes pro Christo, easdem Legationis facultates obtinuerunt à Spiritu sancto, qui in PARI POTESTATIS MENSURA posuit illos regere Ecclesiam Dei. Ergo evidens est, Disparitatem potestatis inter apostolos esse humanum inventum, in sacris Evangeliijs & divinis novi Testamenti Scripturis minimè subsistens. — Atqui hæc propositio, inquit sacra theologica Facultas parisiensis, est heretica & schismatica, de jurisdictione Apostolorum ordinariâ, quæ sola in divo Petro subsistebat, intellecta. Quis Te docuit ità interpolare scripturas? Legiturne eàdem legatione, an legatione tantùm? Et ubi par tua Potestatis Mensura? Si hoc non sit, nova fingere Evangelia, quid tandem erit? — Audacior inquit: Spiritus hic divinus sibi ipsi contrarius esse nequit, foret tamen, si Curialistis romanis, eorumque favoribus credere fas esset, qui ceu verbosi Sophistæ ex alijs sacrae paginae Locis Petro ejusque Successo-

ribus majorem præ Coapostolis & Episcopis, immo indefinitam, illimitatam & monarchicam Potestatem vindicare conantur; ast conatu irrito, quia sectantur Umbram provocando potissimum ad trinos hos textus: Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc Petram &c. &c. Matth. 16. 18. Ego pro Te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua, & Tu aliquando conversus confirma fratres tuos, Luc. 22. 23. Pasce oves meas, pasce agnos meos. Jo. 21. Percurramus singula. Petri Potestas hoc sensu indefinita & limitum nescia est, quod hominem non noverit in terris, qui eam accidere possit; divina enim est tota, quanta est. Episcopo, Doctor, & quisquis homo vel angelus es! manum de Tabula! monarchica igitur? Non dico ego hoc, sed neque nego, quamvis id ipse affirmet Gersonius; invidiæ enim exposita hæc Vox est, & generando pusillorum scandalo apta nimis: Quo ergo Potestas hæc insignietur Titulo, aut Veniat nomine? Parum refert. Lego tibi Florentini Canonem. Satis est. Quòd verò neges, Petro majorem, præ Coapostolis Vindicari posse Potestatem, id plane analogum est cum his Verbis Antonii de Dominis: non enim Petrus habuit quidpiam peculiare, in quo ei dari debeat magis, quam Cæteris omnibus, successio. Atqui non verbosi Sophistæ, non curiæ rom. fautores, sed eruditissima & ab ejusmodi Calumniis semper liberrima (os
Lutheri

Lutheri si exceperis) Parisiensium Sorbona Propositionem istam vocat *hereticam, schismaticam, & hierarchici ordinis perturbativam*. Vid. *Schelstrate* antiquitat. Eccles. Tom. II. Cap. III. pag. 106. Edit. rom. 1697. dic Sodes nunc mihi, quis Te post tot, & tam decummanos Errores publicæ admoveat Cathedræ ?

Ad Textus Scripturæ delapsus totus sis Febronius; Vocas enim Id istas Christi ad Petrum *Expressiones ambiguas*, & Idò, inquis, *Variant Ss. Patres, alii per Petram non Petrum, sed ipsum Christum intelligunt* &c. &c. ex Febronio. Respondit autem jam ille Colonienfium *Carrichius*, cui Tu me propior es, & à quo innumera adhuc discere posses, vellésque forte, nisi ille Jesuita fuisset, túque Doctor, adeoque in pari honoris Mensura, quam tibi phrasin reddo, constitutus esses, respondit, inquam, ille qualiscunque homo, sed, me iudice, valde bene, duo ista puncta *Suphisinata esse* prorsus duo. „Primo enim, inquit, „cum fontes geminos, ex quibus certitudo Dog- „matum hauriatur, Ecclesiæ suæ reliquerit Chri- „stus, scripturam atque Tráditionem: hos in „unum commiscet, confunditque ille (febronius) „sic, tanquam nunquam sibi Scriptura ipsa sufficiat, „sed adjuvari identidem, suscitarique Interpreta- „mentis aliorum debeat. Quod minimè verum „est.

„ est. Sunt enim quædam res, quarum adeo ple-
 „ na & perspicua fit in sacris Literis mentio, nihil
 „ ut eis necesse sit addi; sed Explicatum & Inter-
 „ pretationem omnem divinus jam ipse Spiritus
 „ præverterit. „ Ità ille. Subsumit dein. „ Atqui
 „ hujusmodi est is, in quo Versamur, Matthæi
 „ Locus,; demonstratque per quatuor omnino
 „ paginas à 223 ad 231 tanta Copia, tantaque Eru-
 „ ditionis græcæ, ebrææque Ubertate, ac Vi, ut
 „ Febronius, quamvis cæteris suis Adversariis ut-
 „ cunque responderit, huic respondere ne tentarit qui-
 „ dem. „ Alterum, pergit Doctor Colonienfis, hoc
 „ est Sophisima Febronii, idemque gravissimum, &
 „ in eo latet, quod ubi sunt Patrum interpretatio-
 „ nes non omnes uniusmodi, sed diversæ, argu-
 „ mentum ex Scripturis sacris informari dicat non
 „ posse. Attendendum enim est, quem ad modum
 „ diversæ sint. Nam si fluctuent reverà Patres,
 „ negentque ac rejiciant multi, quod alii ponunt
 „ & admittunt, tolerari potest Regula, quoad Ec-
 „ clesiæ definitis ac determinantis auctoritas in-
 „ terposita nondum fuerit. Quodsi rem verò ean-
 „ dem ex diversa velut facie intuiti Patres modo
 „ sic, modo aliter exprimant, nihil falsius est isto
 „ Canone; qui si in auctoritatem adsumeretur, sus-
 „ deque misceri omnia necesse foret. Quis enim
 „ est uspiam scripturæ Locus, cujus non multiplex
 „ in Veterum Libris interpretatio demonstrari
 „ possit?

possit? — Atque ita in presenti res est. „ Demon-
 strat hoc quoque *Carrichius*, à pag. 231., &
 in §. II. pag. 235 omnem, ut alter *Peravius*,
 Patrum percurrit Chorum, ostenditque, *Eosdem*
Patres, quos Febronius (Froitzbeimius) objicit,
prorsus adversantes illum habere: totum proin ejus
Conarum vanum & futilem esse. Lege, quæso,
 ista folia, & nisi Te, febroniúmque, quem exscrip-
 sisti, tuum, non dico refutatam ad minutias us-
 que, sed plane contusum, & in cineres ultimásque,
 ut *Physici* ajunt, *moleculas redactum* inveneris,
 mihi, tibi veniam facio, malam precaberis *Crucem*.
 Lege, & si vel nomina Patrum eorum, quos *Carrichius*
 perspectos habet, adducitque eo loco, noveris,
 eris mihi magnus *Apollo*. Pergere si voles ad
 §. III., ante IV. §. invenies, quid *Petrus* cum
Apostolis commune, qui habuerit *peculiare*, sive in
 quibus, *par*, *suppárque* fuerit.

Sed non facies hoc; est enim *Vir* ille ex In-
 stituti sui *Reliquijs de & pro curia*, ut ad *Tex-*
tum secundum commentaris. Lege igitur, quo-
 niam, etiamsi omnia mihi negaveris, hoc, ut ne-
 ges, impetrare à te non poteris, lege, inquam,
Hædderichii Elementa Tom. I. pag. 19 & 20. quid
 ibi? „*Sapientia divina consentaneum omnino fuit,*
 „*ut pro Conservanda Unitate Unus aliquis inter*
 „*Apo.*

„Apostolos Constitueretur, qui Auctoritate ac jurisdictione inter ipsos etiam Apostolos Ceteros antecelleret; hunc ipsum Apostolorum Principem à Christo Constitutum fuisse D. Petrum, *S. Littera* aperte produnt, atque *Ss. Patres* UNANIMITER docent. Hæc ibi ille. Quid dicam? Damnem Magistrum? Discipulum? Utrumque? Id animadverto; *Hedderichium* expositam jam à se Doctrinam & in sacris Literis aperte proditam & à *Ss. Patribus* unanimiter doctam magni facere, & debite æstinare non posse, eo, quod hominem illi è diametro adversantem publicè Doctorem ipse promotor renunciarit. Quid sacra Respublica de ejusmodi Censeat Academia, in qua non toleratur modo homo adversus divina Eloquia & unanimum *Ss. Patrum* Doctrinam scribens, sed promovetur etiam? Atque ob hoc ipsam promovetur Specimen, in quo ita contra scripturam & Patres pugnat? Hic si non sit supplendæ negligentia, vel retundendæ potiùs temeritatis locus, ubi erit? Fallor: distinguendus iterum erat *Hedderichius* senior à Juvene: contra, ac fieri solet, sapuit Juvenis, desipuit senior; Vereorque, ne tres Anticyræ jam sat tulerint Ellebori, quo morbidum sanetur Caput. Atque hic omnium metus erit, qui, ut credant, ipsum *Hedderichium* Dissertationis *Froitzbeimianæ* authorem esse, non gravissimis tantum adducantur argumentis, sed pene palpant manibus.

Con-

Concluditur nunc ille §. 2. Dissertationis inaugu-
ralis his Verbis:

Ex his porro evidens fuit argumentum, in S. Scripturâ, & antiquâ traditione fundatum, constanter traditum, & inculcatum: quod Petrus majorem in Regimine Ecclesiæ à Fundatore Ecclesiæ haud obimperit Potestatem, ac Ceteri Apostoli; omnium idem erat munus, omnium in omnibus (excepto Primatu) autoritas, Potestas, & Jurisdictio erat purificata, & hanc æqualitatem sanctè servarunt antiquarum Synodorum Canones. Illa Parenthesis (excepto Primatu) an ab hæresi immunem præstet hominem, judicent alii, a contradictione non liberat; tantundem enim est, ac si dicerem, duo & duo (excepta inæqualitate) paria esse, & æqualia. Si $a = b$; quis differentię locus? Illud certum, Card. Archiepiscopum Mechliniensem maxime offensum fuisse, si vel simile quid Lovaniensis respondisset Doctor.

Strictius nunc agam, ne nimium diffundar. Transit ad §. III. hoc modo: Ex hac Regiminis Norma ab ipso Christo taliter instituta, ac ordinata vi necessaria sequelæ exoritur in Regimine ecclesiastico §. III. Pontificum & Episcoporum eadem & æqualis Potestas descendens ex immediatâ
Insti-

Instituzione divinâ. Si eadem & æqualis, ergo singuli tanti, quantus Petrus: ergo singuli Primates, aut ne Petrus quidem. Scholasticè loquar? Identitas & æqualitas Excessum non patiuntur. Si, quæ jurium Petro concessorum Mensura eadem sit eum illâ jurium Apostolis concessorum, aut non major, ut scribis, repetita Parenthesis (exceptis primatialibus) jocularis est, & ad Risum conficta. Si, nostrâ electione (Episcopi) Canonicâ, descendit ex beneficio divino jurisdictio & quidem plena, perfecta, & æqualis; si nullibi . . . jus divinum soli Papæ majorem reservavit potentiam, quæ tua sunt, Calpare, Verba, quæto, qua ratione salvabis primatum? An ipsum non apertè negas? Si, quod in eodem repetis paragrapho, Petri & Apostolorum, Pontificum & Episcoporum Autoritas, Potestas, & Jurisdictio æqualiter ab ipso Christo fuerit mensurata, adeoque à nemine arbitrariè remensuranda, quæ ferrea ætatis phrasis tua est, & quam in hocce nostro pulcrarum artium autumno à Doctoralia ambiente Insignia nemo facilè expectasset, si, inquam, æqualiter mensurata fuerit illa utrorumque jurisdictio, quid restat peculiare, quod Petro tributurus sis? Nihil, prorsus nihil.

Explosa dein monarchici forma Regiminis, videris & aristocraticæ invisus esse. Atque hæc est illa, pro qua hætenus, tanquam tui defendendâ

si essent Penates, certasti. Videamus interim, quid in hoc tuo Pontificum Episcoporumque auctoritate, Potestate & jurisdictione æqualium systemate pro Petro peculiare extundas. Lector attende, hic discis, quod nescisti hactenus, quod audiisti nunquam, deinceps etiam non auditurus. Ex Matth. 16. V. 18. & Joan. 21. Locis postquam parem & æqualem Petri cum cæteris Apostolis collegisset Potestatem, ait, *indicane verò* TEXTUS IDEM, *prærogativam aliquam Petro præ reliquis Apostolis concessam fuisse, quam Ss. Patres in binos Textus commentantes uno ore profiterentur.* Duo hic ponit novus Doctor aut prodigia, aut adynata. Primum est, illudque à mortalium nemine vel in somnio sibi propositum, *ISDEM Spiritus sancti VERBIS enunciari par & impar, idem & amplius, majus & æquale, decem & septem: sive Petrum Apostolis Potestate æqualem esse, & non esse.* Nonne leporis plus in hac Caspari Exegefi est, quàm in illo horatiano: ludere par impar, equitare in arundine longa? Alterum est Monstro non abfimile, Patres *idem*, illudque *uno profiteri ore*, quod suprâ negabant *Variantes.* Suavissimi Domini! si ita scribere, eruditè scribere sit: si antilogiis tam manifestis Rem in Religione nostra maximam implicare, opus sit, laurea dignum doctorali: si Academia Bonnenfis ejusmodi portentis gloriari possit, & se se præ Matre Colonienfi

sua ob ista jactiter, edicite, quid tum stultum, stupidumque, quid abjectum indignumque, quid Vanum & inane orbis non omnino insaniens habendum esse putabit? — Casparum, quoniam paragraphum hic hunc abrumpam, moneo, ut parumper praestolari dignetur; sum enim postea ad exposita ab ipso Primatus Jura rediturus. Nolim tamen à me expectet, ut singula, quæ habet, absurda, inepta, falsa etiam maximè refutem; id enim, ut in Exordio dixi, esset præter scopum meum, & mille folia postularet.

Quæstio III. Cujus est interpretari Canones Conciliorum authenticè?

Respondet Iò Hedderich: Ecclesiæ. *Discimus hoc*, inquit in *Dissert. de Juribus Ecclesiæ germanicæ in Conventu Einsano explicatis pag. 50 & 51. ex Verbis Christi Matth. 18. quando dixit: si eos non audierit, dic Ecclesiæ, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Erbnicus & publicanus. — In hoc textu secundum unanimum fere omnium Catholicorum sententiam fundatur Potestas definiendi, determinandi, statuendi, decernendi, constituendi, & relaxandi (ergo & interpretandi, quod ego addo) Præcepta & Canones, Quos autem per Ecclesiam hic designavit Christus? An so-*

LUM & UNUM Petrum? Absit: sed OMNES & SINGULOS APOSTOLOS.

Respondet idem II^o. Neque Concilii, neque Pontificis, sed Episcopi. „Silens prætermitto, inquit in historia genetica pag. 75., „Farum Friderici IV Archiepiscopi Coloniensis, qui ad Decreta Concilii Tridentini recipienda & publicanda, atque, ut in illa juraret, autoritate Pii V. commoveri non potuit, sed potius anno 1567, referente *Ladergio*, Annalium *Raynaldi* continuatore, Episcopatum suum dimittere maluit. Amplissimus mihi hic pateret ulterius differendi campus, si in Causas hujus facti & facti inquirere vacaret. Et si vacaret, scirem, & *Pium* & *Concilium* Causa casuros, *Fridericum* verò triumphaturum, quod est, neque Concilium, neque Pontificem authenticos esse Canonum Interpretes; non enim fuit unquam Coloniensium Episcopus, quem, si se vel aliquo modo romano opposuerit Pontifici, ob hoc ipsum ista tua oratione non laudes, rebellium, & depositorum etiam post tot sæcula in nova Academia Patronus.

Respondet idem III^o. Non Concilii, non Pontificis, non Episcopi, sed *Hedderichii*. Bone Deus! quis credidisset hoc? Sed ita est. Dixit Pius VI in Literis ad Archiepiscopum Colon. da-

tis: „Præmittimus sanctionem Concilii Tridentini
 Sess. 24. de Matrim. Can. 4. „Siquis dixerit,
 „Ecclesiam non potuisse constituere Impedimenta
 „matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis
 „errasse, anathema sit. — Ex dogmatica hujus-
 „modi lege antiquissimis innixa Documentis aper-
 „tè colligitur, ad solum romanum Pontificem,
 „tanquam universæ Ecclesiæ Caput spectare dispen-
 „sationem à constitutis in ipsa Ecclesia Impedi-
 „mentis; ut & revera S. Gregorius M. dispensa-
 „verat in aliquibus gradibus anglorum gentem
 „tunc ad fidem conversam, quod patet ex ejus
 „Epist. ad Felicem messanensem in Regist. Lib.
 „14. Epist. 17. Et Innocentius III. relaxaverat
 „Orthoni IV. impedimentum in quarto consanguini-
 „tatis gradu ea lege, ut amplissima Monasteria
 „Ortho fundaret, omnèque per Imperium largis
 „elemosynis & ferventibus orationibus istud Ec-
 „clesiasticæ disciplinæ Vulnus compensaret. In eo
 „sex sæculorum ab uno ad alterum Pontificem
 „elapsum intervallo nullus reperitur Episcopus,
 „qui ausus fuerit aliquam in gradibus matrimo-
 „nialibus dispensationem concedere.„

Quid ad hæc nunc noster melior interpretus?*)
 „Ipse Catechismus romanus Jussu Pii V. editus
 „&

*) Vid. Dissert. Cit. pag. 51.

„ & approbatus Art. 9. §. 9. ait: *Ecclesia* nomi-
 „ ne ejus Præsides significantur: si te non audie-
 „ rit, inquit Christus, dic *Ecclesia*, quo in Loco
 „ Præpositi Ecclesiarum seu Episcopi designantur. —
 „ Quid ergo de Ratiocinio, quo Sanctissimus no-
 „ ster in Literis ad Serenissimum nostrum Archi-
 „ episcopum Electorem Colon. elapso anno datis
 „ utitur, Videlicet: *ex degmaticâ hac lege Concilii*
 „ *Tridentini si quis dixerit ad Ecclesiam &c. aper-*
 „ *tè intelligitur ad solum romanum Pontificem tan-*
 „ *quam universæ Ecclesiæ Caput spectare Dispensa-*
 „ *tionem à constitutis in ipsâ Ecclesiâ impedimen-*
 „ *tis: quid, inquam, de hac Doctrina sit sentien-*
 „ *dum per se patet.* „ — Jam audiistis, *Hedderi-*
 „ *chii*, & non Pontificis esse, Conciliorum Canones
 authenticè interpretari, immo Pontificem id ne scire
 quidem. Roma tace Bonna loquente; per se
 enim patet, Te Catechesios usque adeo tuæ Ignoran-
 tia laborare, & Pontificem illum tuum tertiam
 ne quidem Dialecticæ partem nosse, quæ de *Ratio-*
cinio agit. Tanti refert, non studuisse Bonnæ?
 ubi verò Catechesis nulla, nullaque ratiocinandi
 ars, quæ inde Canonum interpretatio?

Respondet Hò *Spitzius* Id. Authentica Ca-
 nonis alicujus Interpretatio, quæ à Pontifice fiat,
 non est necessaria ad conservandam aut restituendam
 in Ecclesia *Unitatem*; potest enim hæc &

conservari & restitui sine illa, nempe Concilio, quod, si convocarit, fini satisfecit, ob quem Pontifex est. *Aliis ceteroquin Apostolis par & aequalis concessa est Potestas.* Vid. *Thef.* II. in Parergate *Dissert.* Cit. pag. 28. salva Unitate, Papa Episcopus est, nihil præterea.

Respondet idem Hò. „Apostolos ab omni
 „Erroris periculo semotos tamen maluisse gravio-
 „ris momenti negotia in Conciliis congregatos de-
 „finire convocata etiam fidelium multitudine acta
 „Apostolorum demonstrant. *Act.* I. VI. XV.
 „&c. „*) Interpretatio autem Canonum conciliarium negotium est gravioris momenti, ut ipsi etiam Lovanientes intellexerunt. Errem, si dixerò, Apostolos quidem aliquoties disponente ita Spiritu sancto coissè, ut Concilii daretur norma futuris, non tamen *maluisse* negotia etiam gravissimi momenti in unum congressos Locum decidere? Annon enim post ista in actis relata Concilia Apostoli gravioribus implicabantur negotiis? Quæ Paulus, quæ Petrus, quæ Joannes contra Cerinthum & Ebionem maluerunt celebrare Concilia? Nonne malles jam, illud *maluisse* non scripisses? Ad fistulam redi!

Ref-

*) Hæc est Thesis IV.

Respondet idem IHd. „ Rectè animadvertit VAN
 „ ESPEN *Comment. in II. P. Graziani* *Caus. 32.*
 „ sententiam Theologorum Scholasticorum de In-
 „ fallibilitate S. P. ævo gratiani fuisse incognitam,
 „ ac Distinctionem istam inter decreta S. P. Ca-
 „ thedratica & non Cathedratica à nonnullis recen-
 „ tioribus fuisse adinventam pro adserenda P. in
 „ fidei & morum dogmatibus infallibilitate. „ *Thef.*
 27. Rectene? Ergo cum ille ipse *van Espen* jus-
 su Archiepiscopali interrogaretur, an vellet subscri-
 bere formulari Alexandri VII, & constitutionem
Unigenitus purè & simpliciter acceptare, & omnes
 ejus Propositiones damnatas damnare, *recte* etiam
 respondit, formulare Alexandri VII se jurare non
 posse, cum id, quod est *facti*, sibi non propona-
 tur per *authoritatem infallibilem*: atque etiam Bul-
 lam *unigenitus* se amplecti non posse, cum in ea
 multæ propositiones damnentur verbo Dei, Ss.
 Patribus & Conciliis generalibus consonæ, puris-
 simam primorum Ecclesiæ temporum Regulam tra-
 ditione apostolica nixam proponentes. Nonne,
 repeto, & hoc tum *recte*? Idemne respondebis tu
 aliquando, si simili interrogaberis jussu? *Rectè!*
 falsissimè & ex hæretico planè spiritu debuisses
 scribere, si Doctor catholicæ dignus fuisses Cathe-
 dræ. Etiam jansenisticæ tibi picis aliquid hæret?
 Ergo *amorsfordium ad sepulcrum Sanctorum* abi, &
 fistulâ dulce cane Coddei, Steenhovii, Barchmani,

Varleti, Espenique manibus! Hedderichium, si ex sua, quæ Josephum I. & Josephum Clementem Archiepiscopum inter ipso narrante contigerit, historiâ, quæ posset, deduxerit corollaria, comitem habere poteris.

Sententia Scholasticorum de rom. Pontificis Infallibilitate Gratiano senior non sit, & ejus aetate ne cognita quidem? Quam tu igitur theologis in Disciplinis juvenis, quam es peregrinus! piget, cum tam imberbi pugnare. Legat Theologos, antequam de iis pronunciet! Patres verò ne eorum exesse Choro jubeat, enixè rogo. Demus interim, illum brevissimum loquendi modum *Carbedratica & non Carbedratica* ab niveâ non commendari antiquitate, quid tum? An propterea etiam eo expressa res? Minimè. Annon ipsi Tibi aliud est, Pontificem cum eâ omni, quam theologi describunt, enunciare Parascevi, & sine eâdem discernere? Quam erudituli estis! sed, ut concludam, quod res est, dico, illam tuam ex *van Espenio* descriptam Thesin eò tendere, ut quæcunque Pontificis Decreta, seu, quod eodem redit, quascunque ejusdem Canonum Interpretationes, fatali, quo Vos damnaret, & quem non ex unâ timetis ratione, casu, possitis jam dudum obarmati exhibilare, ridere, contemnere.

Respondet III^o *Weimerus* Id. Inferiorem non posse interpretari Legem Superioris authenticè, de quo Interpretationis genere hic solum quaeritur, fassus sum in omnibus iis Ruprechtii, Schenkeliique locis, quos hac de re agentes intactos, invariatisque reliqui; Pontificem autem Concilio inferiori esse, demonstravi toto illo, quem ad *Constant.* & *Basileense* Concilia in *Prædiolo meo rurali vindemialibus hisce diebus in chartam conieci, Commentario.* Ubi Prædiolum hocce rusticum? Ubi gentium? Ubi Loci? Quæ mappa habet? Dic, quod res est, volui Ciceronem imitari; quam ob rem prædiolum mentitus sum; novimus enim, quæ & quot mansiones sint in Domo Patris tui.

Respondet idem II^o. §. 76 disti commentarii:
 „ Alterum fundamentum collocant in Concilio flo-
 „ rentino, quo Constantiensia & Basileensia Decre-
 „ ta exterminari autumant. Concilii florentini ver-
 „ ba hæc sunt: *definimus sanctam apostolicam Sedem*
 „ *in univrsam orbem tenere primatum, & ipsum*
 „ *summum Pontificem romanum Successorem esse bea-*
 „ *ti Petri, Principis apostolorum, & Verum Chri-*
 „ *sti Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & om-*
 „ *nium Christianorum Patrem ac Doctorem existere,*
 „ *& ipsi in beato Petro pascendi, regendi, ac gu-*
 „ *bernandi Univrsalem Ecclesiam, à Domino no-*
 „ *stro Jesu Christo plenam Potestatem traditam*
 C 5 „ esse

„esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum
 „Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.
 „En hocce Decreto florentino præfata Decreta es-
 „se abrogata contendunt adversarii, ac speciatim
 „Bellarminus *Lib. I. Cap. 7, de Conciliis.* Sed
 „florentini textum explicemus, & dissidium brevi
 „compositum erit. Sententia ergo hujus Decreti
 „hæc est, summam & plenam administrandæ Ec-
 „clesiæ Potestatem à Christo fuisse Pontifici tra-
 „ditam, *ad legem*, ut illâ utatur juxta modum, qui
 „& in actis Conciliorum oecumenicorum, & in
 „sacris continetur Canonibus., — Non teneo
 me; debeo loquaculum interpellare. Ubi oecume-
 nica Concilia, ubi Canones, ubi illa Lex, ubi ille
 à lege præscriptus modus à Petro Pontifice ad Syl-
 vestrum usque? Quis eam tulit legem? Valetne
 adversus Christi legem? Datam ab ipso Potestatem
 potestne Lex illa ullis circumscribere limitibus?
 Quando, quâ datâ occasione est nata illa lex?
 Doctor! non explicas, sed fingis: non doces, sed
 decipis: & ut decipias, mentiris. Si *summa &*
plena administrandæ, regendæ, ac gubernandæ Ec-
 clesiæ à Christo Pontifici tradita sit Potestas, Ec-
 clesiæ & omnibus ejus membris, sive congregatis,
 sive dispersis, sive Episcopis, sive Laicis sola obe-
 diendi gloria relicta est. Quod nisi ita sit, necesse
 est, me doceas, quid *summæ*, quid *plenæ*, quid
 à Christo datæ Potestatis nomine intelligere debe-
 am.

am. Vereor autem, ne nova à Te Lexica accepturus sim. Valet tamen ista tua Explicatio, quo eâdem delusi credant, Pontificem fœtis à te Canonibus subesse; adeoque eorundem interpretem esse non posse, quod à Mechliniensi quærebatur Archiepiscopo. Pergo nunc Te ex ordine describere.

„Hinc Florentium Constantiensibus & Basile-
 „ensibus Decretis nihil adversum habet: Etenim
 „illa verba: *Papæ in beato Petro pascendi, regen-*
 „*di, ac gubernandi universalem Ecclesiam, à Do-*
 „*mino plenam Potestatem fuisse traditam,* non in-
 „dicant, eam Potestatem ita fuisse traditam, ut
 „adunata quoque Ecclesiæ consensum unus vince-
 „ret; id, quod Patres Constantienses & Basileen-
 „ses refutabant.„ Huc ergo appulisti. Quomodo
 probas, id ea non indicare verba, cum hoc ipsum
 significant? Quomodo id refutarunt Constantienses,
 Basileensisque Patres? Nec Tibi nec illis à me
 concessum puta, ut alium verborum illorum quam
 quem ab institutione habent suâ, quemque illis
 non indidi ego, sed quem doctus sum, & mecum
 omnes, quotquot eramus latinæ linguæ Candidati,
 Significatum mihi à Vobis obrudi patiar. Dixi
 jam, me nova Lexidia à Vobis non accepturum.
 Quis Te, quis Basileenses docuit, in hypothesi
adunata Ecclesiæ summam plenamque Pontificis
 Po.

Potestatem non esse amplius summam plenamque?
 Cæsare Caput præesse membris, si membra unâ
 sint? Pastor, si oves Cane coegerit? Rector, si
 cum suis accumbat? Lepida Capita! quæ sanan-
 dis Vobis tandem sana exstruetur Domus? Helle-
 beron tum ipso *aurimonii Regulo* rarius erit.

„ Adhæc, pergis, perpendamus illa Florentinî
 „ Verba: *Papæ in beato Petro nascendi, regendi,*
 „ *& gubernandi Universalem Ecclesiam plenam Po-*
 „ *testatem fuisse traditam*, hæc verba an sunt sim-
 „ pliciter sumenda, ita, ut Papâ pro arbitrio Ec-
 „ clesiam regat? Certe non: sed quemadmodum in
 „ gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris
 „ Canonibus continetur. An autem Concilia, eo-
 „ rumque Canones absolutam & monarchicam in
 „ Papa, Ecclesiam regendi potestatem agnovère?
 „ An ipsi Pontifices maximi talem in se ipsis Po-
 „ testatem agnovère, quibus nihil fuit sanctius,
 „ quam observare Canones, & summam illam à
 „ Christo acceptam Potestatem ex Canonum præ-
 „ scripto exercere? — Minimè igitur veritati hac-
 „ tenus adsertæ retragatur Concilium florentinum. „ —
 Interrogasti. Nunc nostrum est respondere. *Ver-*
ba hæc an sunt simpliciter sumenda? Sunt, & tuâ
 ipsâ quidem ex sententiâ; explicaturus enim suprâ
 Florentinum scripsisti; *Sententia ergo hujus Decre-*
ti

si hac est, summam & plenam &c. — Ità, ut
Pap: pro arbitrio Ecclesiam regat? An, liceat &
mihî interrogare semel, an summa & plena re-
gendi potestas necessariò arbitrarium exercet impe-
rium? An Christus illi summo in Ecclesiâ Impe-
ranti non dixit, qui major est vestrum, fiat sicut
minor? Dixit. Quare Tu igitur, quasi Petri suc-
cessor hujus Christi Salvatoris præcepti nullam ha-
biturus esset rationem, ejus ad invidiam Despotif-
mus times? Phrasis pro arbitrio regere, æquivoca-
tioni obnoxia est: deme hanc, & Honthheimiana
quæstio tuo acquiescet Responso. Nullusne un-
quam in orbe fuit supremus Imperans, quin ar-
bitrariè imperitaret? An Ludovici, Stephani, Hen-
rici, cæteri Despôtæ omnes? An, quæ gratia eos
ab isto incolumes servavit malo, Pontifices deficiet?
Sequiturne, summus sum: ergo durus ero? Rector
sum; ergo omnium radi capita, pullâ omnes in-
dui veste, in carcerem omnes conjici faciam? Est
verò hoc, quod ex summâ plenâque Pontificis Po-
testate tu vis fieri. Sed comparasti Pontificem
Tibi, & hinc illo tuo nihil certius argumento.
Ex Pontificibus numeramus 33 Martyres, qui sub
decem Persecutionibus gloriosè occubuerunt, quî
sub hæreticis passi sunt, 4, & confessores dein
40, qui in pace sanctâ vitam finierunt. Hinc pro
arbitrio sanctam rexere Ecclesiam? Rexere tamen
tanquam Primatum in Universum orbem tenentes,
ut

ut *Petri Successores*, ut *Episcoporum Principes*, sicut *Petrus Apostolorum Princeps ipse*, ut *Christi Vicarii*, ut totidem *Ecclesie universae Capira*, ut *omnium Christianorum Patres, ac Doctores*, ut *plenam* denique *à Deo potestatem habentes*. An hæc non confodiunt febronianum cor tuum? Hanc his enunciata verbis agnoverunt potestatem Concilia in Pontificibus, & Pontifices in se. *Absoluta & monarchica Potestas* ad invidiam à vobis centies repetita vox est, ut jam supra monui, & eò tantùm à Vobis frequentatur, ut myopes decipiatis Discipulos. Christum, quamvis Deus sit ipse, quis vocat *Monarcham*? Habet Ecclesia, habent & monarchomachi sua propria vocabula: utrisque relinquuntur sua!

Pontificibus, postremò dicis, & iterum non sine fraude, nihil sanctius fuisse, *quam Canones observare*, & *summam illam à Christo acceptam Potestatem ex Canonum præscripto exercere*. Nonne, cùm hæc ità de Pontificibus disputantur Potestate, de eâ quæritur Potestate, quæ Petro saltim coæva, quia Inrita, quæque ab ejus Successoribus primorum illo trium sæculorum intervallo fuerit exercita? Omnino. Non enim alii ante, & alii post Concilia & conditos Canones in Ecclesia Pontifices. Qui autem Canones ante Sæculum III pontificiæ moderabantur Exercitium Potestatis? Qui?

Qui? A quo conditi? Quando conditi? Petrus an cum, an sine Canonibus remum duxit? Quis Lino, quis Cleto, quis leges scripsit Xysto? Ratio, Spiritus sancti gratia omnia suaviter disponens, paternus amor, summa humilitas, & fraterna charitas, uni solique erant primorum Pontificum Canones, quos observabant sanctissimè, præter hos ne unus quidem. Siquis verò exturrexerit, & vocem sustulerit suam potenter loquens, quærendum, ad id quis cægerit Patrem? An Chamus, an Ablolonijs, an Concubinarum amatores, an nuperrimè Febronius, an Vos denique? — *Weimere!* te unum interrogo, ubi Christus, quam *Summam* Petro dedit potestatem, cæteris inculcavit Apostolis? Nôsti, quò hæc pertineat interrogatio. An Pontificiæ Exercitium Potestatis subsit Canonibus? Et si hoc, an tum *authenticè* eos interpretari possit? Et hoc si non possit, quomodo illa ultima florentini Verba Decreti explicabis, *quemadmodum etiam in Gestis œcumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur?* Quid vero iis continetur? Pontificem, quia omnium Christianorum, etiam tuum esse Doctorem. Quod cum ita sit, quæro ex te, quid tibi sumseris? Quare cristas crexeris rubras tuas? Quare legibus subjeceris eum, qui in universum orbem primatum tenet? Quare denique Minervam Tuam sus?

Respon-

Respondet IVò *Froitzheimius* Id. Ex Theſi-
bus *Weimerianis*, S. Hieron. *Epist. ad Evag.*
(*Hieron. debuisset scribere,*) & ex pag. 7. *Dis-*
fert. inauguralis suæ; OMNIS EPISCOPI. *Ubi-*
enim fuerit Episcopus, sive Roma, sive Eugubii,
sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandria,
sive Tanis, EJUSDEM MERITI, EJUSDEM EST SACER-
DOTII: quidni igitur & ejusdem interpretandi fa-
cultatis? Caspare! Patrum verbis conspergere char-
tam, & ne eorum quidem scire, quomodo scri-
bantur, nomina, multo minus interpretari senten-
tias, ubi opus est, cujus hoc est? Tui, tuorum-
que.

Respondet idem IIò. TOTIUS ECCLESIE. „Si
„nempe unitas circa Doctrinam fidei in periculum
„trahatur, inquit pag. 10, tum enim totius Ec-
„clesiæ per superiorem, nempe Primatem congre-
„gandæ judicium explorandum est, utpote cui de-
„positum fidei concreditum est; unus namque
„*Primas non est Solus hæc in causâ judex, sed*
„omnes Episcopi positi sunt tanquam arbitri nati,
„quibus Christus promissit adesse usque ad con-
„summationem sæculi, quibus misit spiritum ve-
„ritatis, docentem eos omnem veritatem.„ Nempe
est hoc, hic Pontificem caput esse desinere, &
membrorum explorari debere sententiam; nempe
in periclitantis casu Unitatis Petri Successor om-
nium

nium Christianorum Pater & Doctor non est; nempe ad dirimendam quamcunque in fide Controversiam Concilium necessarium est; nempe si Primas non sit solus hac in causa iudex, à quovis Primatis iudicio ad Concilium Episcoporum appellandum erit. Quibus certè corollariis nihil potest esse præclarior. Malum, quòd non in Quænelliana incideris Tempora! tempore arianismi *arbitri* illi tui egregios se præstiterunt Viros. Iisne Christus misit Spiritum sanctum, qui eos omnem docuerit veritatem? Itane? Omnes Episcopi omnem divinitus doceri veritatem? Omnes è Cælo promoti magistri? Quæ narras tu mira! cui bone igitur Consilarii illi Ecclesiastici, à quibus pendet omnis prope in Germaniâ hodiedum Episcoporum sapientia? Paulus similibus usus est? Petro suggestit *Hederichius* aliquis? Monachus Andreas Andrea Apostolo aderat? Si misit Christus, ergo, cum hora diei sit tertia, ebrii hi non sunt, non saltant, non amant comœdias, & illas, quæ agunt easdem, non criminantur Petrum in balneis, non, à quibus Fratres laudant, retractant, non romanum contra Petrum, sed contra *Festum* adpellant *Caesarem*; sed Spiritu sancto pleni loquuntur magnalia Dei, & docent diligenter ea, quæ sunt *Jesu*. Homo bone! si perrexeris ita contra ipsam nostram Autopsiam germaniæ laudare Episcopos, scito, non *centum*, sed *mille* contra eosdem *gravamina* prope-

diem proditura. Si misit Christus veritatis Spiritum Episcopis, ergo Coloniensis novit, penes te tantam esse Sapientiam, quanta apud alium neminem: novit, Tibi propter eam, utcumque res ceciderit, aliquam deberi cathedram: novit, fatius esse, omnes suos Subditos abesse Colonia, quam tua destitui Doctrina: novit (& quid non noverit?) novit, inquam, omnia à misso sibi veritatis Spiritu. Quam est immensa ista rerum scientia!

Respondet idem IIIò. In casu verò summæ necessitatis, & in defectu Synodorum generalium jus est Pontifici, ut „provisoriè unitati fidei in „tota Ecclesia provideatur per Primatem Ecclesiæ; „hæc vero Primatis Provisio, etsi non irreformabilis, & ultimata, eatenus tenenda est ceu obligativa ad non dogmatizandum contrarium, quare- „nus non reclamatur Ecclesia, quæ in causa fidei „universæ veneratur judicium Primatis, si Episcopi „illud sacra Scriptura, & traditioni consonare re- „periant, ut fides per totum mundum servetur „una, & eadem.„ An satisfaciunt hæc florentino? An ista in Necessitatis hypothesisi Pater & omnium Christianorum tantum Doctorem est romanus Pontifex? An & in hac ingenio docili ne sufficit quidem? Quot quæso hæreses sine Conciliis generalibus interemerunt Pontifices? Satisne silentium contra non docens? Charitati, quam Patri debet filius, satisfacit filius contra non murmurans?

rans? An audientes tantum apostolos, & non credentes salvi facti sunt? In sola hypocrisis omnis cubat debitus Pontifici honor? Non Oves, sed Arietes, sed Equi recalcitrantes, sed oblii beneficiorum Vulpes, sed Serpentes, & Viperae sint, necesse est, qui, monente Pastore, obbalant, obhinniant, obvulpinantur, obfibilant. Quomodo veneratur, si reclamet? Quid Primatis iudicium, si sint, qui corrigant, Episcopi? An non Tu tua in tyrocinio bene, cum Praeceptor, quae emendaret, non reperiret? Nonne theologorum minimo quisque tam credet diu, quam diu falsus esse non ostenditur? Plus nihil adfirmarint florentini? Nae illi tum *maximi in minimis Viri.* — *Si Episcopi illud sacrae Scripturae, & traditioni consonare reperiant.* Poterit igitur contingere, ut illud etiam, si Te audimus, dissonare reperiant. Cur enim illud, & hoc non? Si vero hoc, quid tum Caput Ecclesiae, quid Pater & omnium Christianorum Doctor? Annon tum Oves sapientiores Pastore, membra erudita magis, quam Caput, Magistro perspicaciores Discipuli, inversus naturae ordo? *Si reperiant.* Quo illud se reperisse demonstrabunt argumento? Quesnelli, opinor, ad Batavos fuga, incessabilibus conviciis, carmine lugubri, perpetuis anticonstitutionistarum Lamentis. *Si reperiant.* Ad quid Exceptio, cui si detur usus, ruit Ecclesia? Vel enim illud reperirent omnes, vel aliqui?

Non omnes; Papa enim omnibus stolidior, ignorantior, pejorque esse non potest, aut si, Te ita opinante, esse possit, tu quis qualisque modo sis, cogitando non assequor. Aliqui igitur reperient, Quinam hi? Ubi nati? Ubi morantes? In penthorali Domo, quam galli *montquininam* vocant, unus est, qui quærendo incanuit, reperit vero nihil, quod Scripturæ, aut Traditioni verè oppositum esset: contra in eo quot & quanta ab aliis reperta sunt & adversus Scripturam & adversus Traditionem pugnantia! atque is de femine Viro- rum sit, per quos salus fieret in Israël? Si rom. Pontificis Decreta perpetuis Episcoporum Examinibus subjiciantur, mille Româ rescripta veniant, non finietur Error. Cæcene igitur amplectantur, quidquid ex urbe Romanâ perscribitur? Sintne nullæ in hisce rebus Episcoporum partes? Chalcedonenses imitentur; qui intellexerint, Petrum per Leonem locutum esse dicant, qui non, legant, legantque iterum, particulas, verba & sententias librent, h. e. studeant, examinéntque, ut intelligant, & dein, quod ipsorum est, definiant.

Quæstio V. *An Ecclesia infallibili Spiritûs sancti assistentia dirigatur, non tantum in definiendis fidei Dogmatibus, sed etiam in ferendis Decretis morum & Disciplinæ?*

Animadversio. Quartam ideo omisi Quæstionem, quia, quæ omnia ad eam necessaria sunt solvendam Virorum illorum opuscula, habere non poteram. Utinam Coloniae vel Bonnæ essem! quantum commodè illorum Errores è Latebris protruderem! sed est tamen, cujus hic recordor, aliquid, quod *Hedderichium* patrem, *Froitzheimiumque* obstetricem appellat, & cui tuus hic locus est. Quid monstri illud? Professor, qui nova docet, timetque propterea, ne Romæ accusatus damnetur, quid faciat, ut *jurisdictionem Pœrestatis coactivæ externæ* declinet? Quid Consilii capiat? *Viennæ PROTECTORIUM impetret*: hoc contra vaticana fulmina salvus, & post illa superstes erit. Malum, quod, quam *VAN ESPENIUS de Recursu ad Principes* docuit, præscripsitque, ipse usus non fuerit Medicina! ubi verò hæc scripseritis, nôstis, quia scripseritis, atque adeo imprimi fecistis. An dipodi huic Diabolorum pessimus non iubeat? Quod apertorum aliquando Hæreticorum certius perfugium? Ab orco, non ab homine fabricata est hæc machina. Nihil itaque tam sanctum est, religiosumque, quod palæphati illi homines deinceps commaculare non possint. Foetida progenies! *Hedderichium* interim, quoniam ab ipso sat scriptorum possideo, de *Ecclesiasticâ jurisdictione Pœrestatis coactivæ externæ*, circa quam quarta Card. Archiepiscopi Mechlinensis versatur Quæstio, in ipso Univerſitatis Bonnenſis

Ortu perorantem aliquamdiu audiemus. *Guntbarius* pro Divortio Lotharium & Theutbergam inter in merensi Synodo pronunciarat; quod suum cum nollet retractare iudicium, à NICOLAO I. exautorabatur; sed Sententia Pontificis, si credimus *Hedderichio*, falsis innitebatur Principiis. Propterea contra eandem „idem *Guntbarius* remedium jure „Ecclesiastico publico in antiquitate proditum, nempe Appellationem ad universam Ecclesiam interposuit Epistola apologetica ad Papam scripta. . . „interposuit, inquam, Appellationem ad Concilium „generale, quamvis successu infelici, siquidem factus temporum, cum aliarum Ecclesiarum Archiepiscopi & Episcopi Germaniæ passim ad alia Pseudo-Isidori principia transiissent, succumbere debuissent. „rit. „ Quis non videt, quid *Hedderichius* vel ipse facturus esset, si ingrata Pontificis percuteretur Sententia, aut suafurus etiam, si alteri *Guntbario* a Consiliis esset? Felicior foret hodie dum appellationis ejuscemodi successus, quia, ad quæ olim Isidori principia adhærebant Episcopi, passim hodie abominantur in Germaniâ prope omnes. Ut gravis fuerit *Nicolai* I. Epistola ad Galliæ & Germaniæ Episcopos, *Willibertus* tamen non sine *Hedderichianâ* laude recusavit, accipere Decretales rom. Pontificum. *Hedderichio* dignum hoc in hac ejus historia, quodd, quem laudârat, mendacem perjurumque fecerit *Willibertum*. *An seriâ voluntate*, inquit, *valde* du-

dubito, in Professionis Instrumento. Vid. pag. 70. historia gener. Quid minetur deinceps Pontifex, si tantis cum Encomiis ipsi resistitur? *Annonem II.* laudat iterum pag. 71.; ego illum alium, quem Imperator Pontificem nominaverat, quemque hujus suæ puduit nominationis, & laudo & prædico. Principium, quòd summus Pontifex à nemine judicari, à nemine ligari possit, vocat *Hedderichius* quidem novum. *Ibid.*; sed est illud ejusdem cum *D. Petro* ætatis, & ut cætera omittam, à Florentinis apertè satis reperitum, stabilitumque: quo non admissio, quæ est Episcoporum repagula? Qui petulantissimè docentium cum jurisdictione Potestatis coactivæ externæ Correctores? Latet porro *Hedderichianum* Sophisma in eo, quòd Principium hoc de certo & ab omnibus agnito loquatur Pontifice; *Anno II.* verò de quodam, cujus Electionem ex Imperatorii defectu Consensus impugnabat. Cætera *Annonis* facta, quæ quamvis importunum hominis Ingenium, quæque bellicosum, quam Virum Episcopum magis decent, quale est pecuniaria ejus Exactio, laudando præterit. *Hildolphum* autem, quod ab excommunicati *Henrici* Imperatoris partibus steterit, plurimum laudat, interrogatque, quis illud *hodie improbet*? Ipsa, respondent Eruditi, *Henrici* pœnitentia. *Hildolphus*. . . *Henrico Regi*, inquit *HARTZHEMIUS*, *fidem datam servandam esse putabat*; ergo, infert *Hedderichius*, nequeo prætere-

vire silentio Constantiam HILDOLPHI Archiepiscopi nostri, qui ANNONI successit in conservandis genuinis Juris sacri publici principiis. Egregia Conclusio! heroica Constantia & certa juris sacri publici, cuius ne tum quidem nomen innotuerat, Ignoratio. Quàm ista bene hærent? Foeni & straminis, fabarum & Cicerum non est major affinitas. Atque hæc miraculi loco fuerunt in Universatis auspiciis. Quàm miror jam Confessum Virorum illorum, qui tum præsentibus aderant, & in Blateronem hunc intenti ora tenebant! quàm, impudens dicam an insaniens etiam post gaudia Universitas, quòd feris posteris Deliria hæc etiam typis exscribi fecerit! quam, quæso, ex his tenebris expectabunt lucem Nepotes?

„Successit HILDOLPHO nostro SIGEWINUS, qui
 „æque Constantissimus erat in juribus Germaniæ,
 „& Imperii tuendis, dum Exauktionem Gregorii VII ob suscitatos in Imperio motus factam, & electo contra illum Pontifici Clementi præstandam obedientiam confirmavit in Concilio Moguntino anno 1085 præsentibus *Wiezilone* Archiep. Mog. & *Engelberto* Trevirensi habito, ceu idem *Harzhemius* testis est. „ Hisce tribus si *Hedderichius* addidisset Salisburgensem, nuperus Conventus Emsentis jam sub *secundi* nomine venire posset, & in magnis Conciliorum collectionibus suo

suo tempore eremiticam non occuparet speluncam. Quid Ecclesia non timeat ab ejusmodi Buccinatoribus? Annon est hoc Attilæ classico periculosus? Si Catholici, si Christiani non essemus; crederene possemus, à Catholicis credi, vel adhuc aliquid Potestatis Rom. superesse Pontifici? Et hæc ferre potuistis, Viri ex Germaniæ Academiis spectatissimi, atque ad audienda *depurari!* annon solus *Dohmius* præ Vobis multo sapientissimus, qui sibi visus fuit, in ista *Hedderichii* Oratione ipsissimum audiisse Lutherum? Quæ, ut ad te redeam, os iniqua loquens! quæ sacra tum tuitus fuit *Sigewinus*? An hoc, *Clericus negotiis secularibus se non immisceat?* Sed transgressus est. Quæ, ut alia interrogem, quæ hic ille à Te tam laudatus *Sigewinus* sacra non migravit Jura, legesque? Non spero, Gregorium VII à te, ut ab hæreticis & modernis concubinarum amatoribus, quibus, fateor, ille malleus fuit, habetur, æstimari; secus ad eandem cum ipsis referendus esses classem, à méque tanti fieres, quanti perforata illa sedes, cui coxim insidere soleo. Quodnam Pauli factorum maximum? Fornicationibus expurgata Corinthus. Ita ego quidem existimo. Quodnam omnium post Petrum Pontificum? Excussæ concubinæ. Atque Gregorio uni hoc debet Ecclesia. Sancte Gregori! te porro rogo, ab isto me serves malo per Dominum nostrum Jesum Christum.

Quæ de WALRAMO, WILHELMÓQUE Archiepiscopis recitavit malus homo, eò legit, ut persuaderet auditoribus, Episcopos illos romanæ nihil in se Jurisdictionis agnovisse, quod est falsissimo falsus, & ex ipsis eorum verbis evidens. De FRIDERICO quod ad ann. 1372 narrat, nullius est momenti, & Episcopum boni communis minus studiosum prodit, quod, quia pulcrum non est, laudari non debebat. Quæ reliqua sunt, sunt autem plurima, Colonienfibus relinquo Doctoribus, ut & ipsi habeant, quem, præter quotidianas Lectiones excutiant saccum. Non enim æquum est, ut orientur hi, & adferentibus aliis è *Monzibus* aquas, ipsi Incendium otiosi aspiciant propiores. Excusationem, quam adferunt, se librorum habere Censorem invisum sibi, non accipio. Si enim erret is, à nemine corrigatur? Immo is ipse ille casus est, quo adversus Censorem sine Licentiâ scribi non potest solum, sed debet. Quis Patribus contra Julianum scribentibus scribendi veniam fecit? Quis Mirabovio contra Imperatorem & Septentrionis Salomonem? Quis *Hedderichio* contra Pontificem, contra vos, contra semetipsum? Omnia hæc nostrâ ætate, quæ lucis est, cogitare, scribere, facereque licet. Vos nescitis quidquam, si non, quod contra Censorem istiusmodi scribere liceat, sciatis. Censoris adversarius & vestro interesse Consilio deberet *Weimerus*, quam tum ad-

ju.

juti vos! miseri! quid traditionibus Patrum ut polypï adhærescitis etiamnum? Ungues solvite, ad collegium adsumite Virum, & quid in Vivos vobis liceat, ex eo discetis, quod ille sibi sine scrupulo in mortuos permissum esse putavit. Animadversum satis est; audiatur iterum ad Quæst. 5.

Hedderich Id. *Falsum & antehac plane incognitum Principium hoc est: si quis . . . madata, sanctiones, vel Decreta . . . pro Ecclesiasticâ Disciplinâ . . . à Sedis Apostolicâ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.* Vid. *Hist. Genet.* pag. 70. Repetitur hæc *Hedderichii* veritas: *Archiepiscopus nostros se se verè in Ecclesiâ Christi conregnantes à Spiritu sancto ad regendum positos agnovisse, suâque auctoritate ordinariâ divinitus sibi datâ INATTENTIS LEGIBUS ROMANIS DATIS ET ROMÆ PROMULGATIS fuisse usos, ut suæ Ecclesiæ bonum promoverent.* *Ibid.* pag. 73. Ubi eo usque processit Lutheri audacia? Modestissimi præ *Hedderichio* sunt Lovanienses, & nihilominus Card. Archiepiscopus impetrare à se non potuit, ut eorum acquiesceret responsis. Si Decreta Pontificis etiam salubria, & ut talia à Vobis agnita, à Vobis sine anathematis metu contemni possint, quid tum de Vobis sentiam? Hominis cujuscunque Confilium, ut primum salubre illud agnoveris, nisi secutus fueris, ab omnibus haberis pessimus; Et
Tu

Tu, Professor publice, Tu Lumen Bonnæ, Tu Juris & Theologiæ Doctör, Tu Librorum Censor, qui, quod contra bonos mores est, non toleret, Tu ausus es, coram Archiepiscopo tuo, coram Viris ex omni ordine, coram tot aliarum Academicarum Doctöribus, in ipsis Academia vestra auspiciis, tam ab omnium honorum moribus alienam, tam eorundem auribus intolerabilem, atque antehac à nemine ne cogitatam quidem declamare sententiam! si hæc & talia in tam plus quam spectabili Virorum consessu, cui pudor abesse non poterat, effutire non erubueris, quid dices, quid facies, si solos præsentem habueris Discipulos? — In Materia, inquis, disciplinari versabar. Audio, scio, legi. Quid præterea? An propterea contemni sine periculo possunt Decreta Pontificis etiam salubria? Contemni, quæro, an contemni possint? Annon cum ingenti alapa mereris hic interrogari, bipedum audacissime, *siccine respondes Pontifici?* Scimus & nos *Unitatem Disciplinæ* non ejus esse Necessitatis, quam *absolutam* indispensabilemque vocant; an propterea verò illa ipsa Disciplinæ Unitas non expetenda, non desideranda, non omni promovenda studio? Annon, quæ primis Ecclesiæ sæculis nata fuerat, Rituum & officiorum Diversitas, multis tandem displicuit? Quantum Sæculo octavo obtinendæ conformitati insudatum non fuit? Voluere quippe Francorum Reges PIPINUS & CAROLUS

LUS MAGNUS officium Romanorum in Regna sua
introduci, & aboleri antiquos Ritus. Quod cum
subitò ab iis non obringeretur, tandem CAROLO
CALVO agente effectum fuit, ut ad morem roma-
næ Ecclesiæ uniformis penes Galliæ Germaniæque
Clericos esset psallendi Disciplina. Quid? quoddã
Tridentini Patribus id Pontifici datum fir negotii,
ut, quæ de Missali & Breviario statuenda videren-
tur, ipse sua auctoritate terminaret & evulgaret.
Contemni igitur poterunt salubria, siquæ in hac
re emiserit Decreta? — Quid demum *Maximilia-
nus Henricus*? Pertinetne etiam ille ad repetitam istam
â Te veritatem? Annon & ille Breviarii roma-
ni admissionem proposuit & commendavit? Ac
postremò *Maximilianus Fridericus* annon iussit,
ut nuperi Breviarii Colon. Compilatores illud ro-
mano similius redderent? Falsum est igitur, in-
tolerabilèque *Hedderichii* Mendacium, Archiepisco-
pos nostros bonæ (NB. bonæ) Memoria, alios
non moror, legum romanarum nullam in re dis-
ciplinari rationem habuisse. Sed dicit aliquis,
Quæstionem Card. Archiepiscopi de *Ecclesiæ De-
cretis Disciplina* esse, non de solius Pontificis in
hac re sanctionibus. Respondeat ergo

Hedderichius IIò. Maluit *Fridericus* IV. Ar-
chiepiscopus Colon. suo renunciare Episcopatu,
quam Decreta Concilii Tridentini recipere, publi-
care, atque in illa jurare; ipsa etiam accedens *Piz-
V.*

V. auctoritas tanti apud ipsum non fuit, ut eò commoveretur. *Hist. Genet.* pag. 75. An hæc abdicationis ejus vera fuerit Ratio, hic non disputo, quamvis de aliâ satis constet. Narrationem *Hedderichii* ideo intactam hîc relinquo, ut emineat, quo ille eam animo, & cui bono declamarit. Quàm porro congregatæ totius Ecclesiæ Decreta disciplinaria non solum, sed & alia parvi faciat, non obscurum erit ex *Dissert.* ejus de *Ecclesiæ juribus in Conventu Emsano explicatis*, ubi §. 12. in hh) ait: *incidenter hic nota, quid jam eo ipso Anno, quo Concilium Trid. fuit absolutum, de hac Synodo, illius procedendi modo, & CONDITIS DECRETIS, EORUMQUE AUTHORITY IMPERATOR SENSERIT.* — Notent sibi & alii, ex *Hedderichii* sententiâ, Imperatorem itâ rectè sensisse. Patere hic, *Philippe magne!* ut ex *Weimero* te tuis, quæ te circa Tridentinum affligunt, scrupulis eximam. „Etenim, sic ille inquit in *commentario in Constant. Concilium* pag. 79., ut quidam *aurbor excelsus* (& talis tibi opponendus erat) „*pariter Episcopus, Ecclesiæ nostræ germanicæ Luminare majus* ait, si absque manifestis probationibus, & ab universa Ecclesia agnitis fas est, post aliquot sæculorum lapsum generalium Synodorum Decreta ea sola ex ratione, quod sufficiens non adfuerit Deliberatio, quod graves ex altera parte fuerint Dissensiones, & Disputationes, in dubium revocare, „quid

„quid tandem in his erit tam sanctum, tamque
 „firmum, quod his inanibus rationibus, seu verius
 „conjecturis non possit eludi? Etiam in historia
 „Tridentini, qualem à Pallavicino conscriptam ha-
 „bemus, frequentes & acerrimæ inter Patres oc-
 „currunt concertationes circa Dogmata, quæ au-
 „thoritati Decretorum minimè obstant. „ Quæ
 est *Weimeri*, ubi Constantiensis causam agit Con-
 cili, bona satis ex Montquintino *contra Te* de-
 scripta Oratio, etiam *pro Te* alio in opusculo
 scribentis, sibi ex omnibus iis Conciliis probari
 parum aut nihil, in quibus Pars Itatorum major
 triumphabat. Ità ii se sine aqua lavare nõrunt
Æthiopès! ità *Trevirenses* Lunam cum *Bonnensi*
 altero, altero *Coloniensi* satellitibus Occidentem
 vidimus! *quàm est Ecclesiæ Viris ab istis consul-*
rum bene! — *Spizio* interim ad *Sepulcrum Sanc-*
torum AMORSFORDII flante, & *APPELLANTIUM* *Cine-*
res ex *Ritu STUPINORUM PRÆBENDATORUM* irrigan-
 te, audiamus, quid *Casparus Froitzheim* ex *Mar-*
garethenherzen contra Ecclesiæ Disciplinam habeat,
 non interrogaturi, quid Ecclesiæ contra ipsius Dis-
 ciplinam Vitæ habere possit. Respondet itaque

Froitzheimius hic loci ultimò: „Aliud est in
 „causis Disciplinæ, hæc, si non adverferur legibus
 „divinis, nec ingrediatur substantiam credendo-
 „rum, pro genio, statu Diœcesium variare potest,
 „neque

„neque Ecclesiæ romanæ moribus tenentur se ac-
 „commodare Ecclesiæ aliæ.„ Ità est, inquit *Hed-*
derichius, aut quæ potius non est tam *Hedderichii*
 Sententia, quàm ipsius sunt alibi recitata Verba.
 Juliacenſium apostata! quid intelligis *causarum dis-*
ciplinarium nomine? Quid tibi substantia creden-
 dorum est? Quid genius Diœcesios Colon.? Quid
 ejusdem Status? Quæ ejus ad romanam Ecclesiã
 habitudo? Quam ob rem credendorum Substantia
 tam à te sedulo, & eo cum rigore à Disciplina
 causis distinguitur? — Magistri, Promotorisque
 tui mentem ut explicem tibi, tantisper permitte;
 illam enim an tu affectus fueris, inde dubito,
 quòd parascevastici Promotionis tuæ dies Magis-
 trum & Discipulum inter nimiam cum Lætitiã, ni-
 miisque etiam, quos tamen postea primùm sensisti,
 Crumens doloribus transacti sint. Quàm inopportu-
 num seria meritandi ejusmodi dierum tempus!
 faciam igitur, quod pro Patriæ nostræ communi
 Privilegio licere nobis nôsti, respondebóque tui lo-
 co, & ita quidem, ne aut tua acquisita nuper Doc-
 toris autoritas, aut mea Te adjuvandi voluntas
 vituperationis aliquid patiat. — Respondeo ita-
 que ex mente Promotoris tui, credendorum Sub-
 stantiam solis comprehendere Symbolis: quæ Regimi-
 nis aut sunt, aut ad illud quovis modo referri
 possunt, ad Disciplinam pertinere: genus Diœ-
 cesios Colon. esse febronianum, & per conse-
 quens,

quens, *Hedderichianum*, *Weimerianum*, *Spitzialem*,
 etiam, nescio quibus ex causis, *zum*: Statum,
 iisdem ita agentibus Vobis, schismaticum aut esse,
 aut certò, si perrexeritis, fore, & Colon. Ecclesia
 ad Romanam nullam futuram esse habitudinem —
 Quæ cum ita sint, alant primò in Dicecesi Colon.
 Monachi comas, *Hedderichii*que fratres, qui id
 faciant, primi sint! Ordinis, quem professi sunt,
 Vestem pro libitu exuant, recipiantque! ambulaturi
 profecturive mercatoriis utantur Palliis, Togis, Tho-
 racibus, Femoralibus, Ocreis, vel sericis Tibialibus,
 fibulisque argenteis quadrangularibus, quibus olim
 solus Equorum committebatur Ornatus! emineat in
 pectore byssus denticulata, & similis ad togæ ma-
 nicas promineat! pendeant ex utroque Braccæ sac-
 culo singula horologiorum Manubria triangulis, &
 Murariorum Palulis distincta! Caput conspersus
 pulvere incedat, & pileum undequaque aut ad ho-
 rizontem gestet, aut qui immensis in altum sur-
 gat marginibus, acie acutum ad angulum effor-
 mata, partibus posticis ad palmæ spatium hianti-
 bus! in Rheda itineraria sit sermo vester liberior,
 subobscœnus, &, ut occasio tulerit, etiam contra
 Religionem! Lucri Loco habendum, si aut contra
 Pontificem, aut ejus, quam Romæ habet, contra
 Curiam quædam appositè, ut Protestantes nòrunt,
 Historia narrari possit. In tabernis haustus vester
 sit cæteris generosior! cum ancillis pocula afferen-
 E. tibus

tibus confabulatio liberalior! Speculorum inspectio, & lapforum ex annulo Crinium frequentior Correctio! Saltitet in manibus baculus! Niteant Ocreæ aut ex nigricante Cera, aut ex inferiorum Tibialium Nive nigræ albicent Tibiæ! toti aut mundi aut Mundus estote! ubique ne nimium religiosi, superstitiosi alioquin habendi! In Societate, si ad quandam delapsi fueritis, colludendum: Merus, siquis Vos deterreat, præjudiciorum à Vobis nondum abjectorum argumento erit: monasticam si nescieritis cum mundana commutare Disciplinam, nulli estis, aut stupidi: quo quidem genere hominum nihil insipidum magis.

Non est, ais, de quâ ego locutus sum, Disciplina hæc. Non? Est autem, quam à me describi oportere putabam, quia mores istos ex doctrinâ à Vobis generatim innocuâ Disciplinæ Variatione sequi experiebar. Ego, pergis, loquebar de Ecclesiæ eâ Disciplinâ, quæ ignorabat *Appellationes, Dispensationes, & Exemptiones ultramontanas, & Canonum*, quibus hæc demonstravi, *valor non evanuit cum tempore, sed salva* (salvus, ut volunt grammatici) *ad huc hodie persistit. Dissert. Inaugural. pag. 21.* Atqui ista tria pura puta & *Hederichii & Froirzheimii Mendacia* sunt. Iam de *Appellationibus*, de quibus Vide Positionem 29 Februnii pœnitentis, quæ hæc est: *Legitimo usu is-*
qui-

quibusvis Causis ecclesiasticis invaluerunt Appellatio-
 nes ad apostolicam Sedem: quam quatuor foliis
 expositam ita tandem concludit: „Ex his manifes-
 „tum fit, romanarum Appellationum constantem
 „in Ecclesiâ usum non viguisse solum, sed à Con-
 „ciliis, Patribus, Episcopis, Regibus, Principibus,
 „& Nationibus, per Canones, leges, & concor-
 „data probatum esse; at tamen & pius hunc usum
 „ab iisdem pro re natâ ab abusibus haud raro
 „purgatum fuisse, & adhuc purgari posse.“ Hac-
 tenus Pœnitens. Quæ ultima Viri crisis, nisi
 earum sit de genere, quibus à Nasutulis etiam
 Sancta sanctorum excipiuntur, & à tumultu absit
 atque acrimonia, tolerari potest, & in Pio VI
 Pontificem inveniret non admodum renitentem.
 IIum de Dispensationibus, de quibus eundem con-
 sule Febronium in *Posizione* 25, quæ sic habet:
*Papa habet Potestatem dispensandi ex legitimâ Cau-
 sâ in Lege à Concilio generali latâ.* Cujus Con-
 clusio est: „At consuetudine tandem invaluit, &
 quæ sunt van Espenii verba, „moderna habet Dis-
 „ciplina, ut, si agatur de Impedimentis dirimenti-
 „bus, & de Matrimonio cum tali Impedimento
 „contrahendo, soli Pontifici dispensatio competat,
 „nisi Episcopi ostendant, speciali consuetudine, aut
 „privilegio dispensandi auctoritatem sibi compete-
 „re.“ Quod hætenus à IV. Metropolitanis frus-
 tra expectavit æquus rerum Judex. Immo ob-

stupuit omnis Parochorum Caterva, ejusmodi Facultatem contra ipsa Ritualia quatuor Diœcesium ab Episcopis sibi arrogari. Siquid consuetudine acquisiti Juris habent Episcopi, id theticè defendendum esse reor, cur non, si similis consuetudo pro Pontifice faciat? Scripsit quidem ANTANGELICORUM aliquis, non à *Ritualibus*, sed ab *Episcopis* regi Parochos, ac meminisse oportuisset hominem, antiquis ex Ritualibus optimè probari antiquas consuetudines, & quæ inde nascuntur, Jura. *IIIum de Exemptionibus*. De his ut sanius cogitare discas, adi eundem Febronium in Positione 35! aut, si errantem, quam pœnitentem sequi malis, lege *les cent Nullités* à pag. 78 Num. 3º usque ad pag. 82. ut agnoscas, contra Viennensè (de Anno 1311) & Tridentinum Concilia malè à Te antiquos hac in re urgeri Disciplinæ Canones.

Sed & *Hedderichio*, qui *Froitzheimiani* Mendacii author est, suus jam dabitur Denarius. Magnus est enim & pene infinitus Appellationum Numerus, quæ ad Sedem romanam ex omnibus Mundi partibus eo etiam tempore interpositæ sunt, quo *Hedderichius* in citato à *Froitzheimio* loco eas penitus ignoratas fuisse scribit. Anno 142, a judicio Synopenfis Episcopi, à quo ob stuprum de gradu dimotus fuerat, Marcio Romam venit, ut a Sede Apostolica pacem, & communionem, obtineret.

Ne:

Negant Launojus, de Marca, Du-Pinius, pluresque
 Protestantes, Marcionis appellationem, veram esse
 appellationem, sed aliud ostendunt Bellarmius de
Rom. Pont. lib. 2, cap. 21, opp. t. 1, p. 331,
Edit. Vener. 1721. Christianus Lupus de *Appella-*
differ. 1, cap. 18, Mansius, & Roncaglia in *Na-*
tal. Alexand. Histor. Eccles. sec. IV. differ. 28,
tom. 4, p. 481, sqq. edit. Vener. 1776, Zaccaria
Anti-Febron. part. 2, lib. 3, c. 2, num. 2. Anno
 250. Privatus Lambesitanus damnatus a synodo 90
 Episcoporum, literas communionis a S. Cornelio
 Pontifice fraudulenter perpetrare conatus est, quod
 sanè, non nisi cognita, & revocata synodi senten-
 tia, fieri poterat. Undè veram appellationem ipse
 Constantius deducit *Epist. Pontif. Roman. in noris,*
epist. non extant. Steph. I. §. 2, n. 4, col. 223.
 Biennio post Fortunatus, aliique Africanae Ecclesiae
 Presbyteri; anno autem 262, Basilides Asturicensis,
 & Martialis Emeritenfis Episcopus Apostolicam Se-
 dem appellarunt. Cyprianus *Epist. 68, col. 253,*
Edition. Baluzii. Vener. 1728 nullam adversus hanc
 appellationem querelam proponit; tantum dicit eam
 obrepticam, & ita jus appellationis agnoscit. Ex-
 emplum hoc vetusto juri appellationum confirman-
 do aptissimum esse animadvertunt Baluzius *nor.*
27, in cir. epist. 68, col. 260, & Fratres Balle-
 rinii *rom. 2. opp. S. Leonis col. 931.* Eodem
 anno Paulus Samosatenus ab Antiocheno concilio

depositus, suam iterum causam apud Felicem Pontificem agendam curavit; qua de re copiose agit. cl. Zaccaria *Anti-Fébron. part. 2. lib. 3. cap. 2. §. 6.* Anno 313. Cæcilianus Carthaginienſis Episcopus iudicatus, & eiectus à Synodo Carthaginienſi multarum provinciarum Melchiadem Pontificem appellavit, ab eoque, causa cognita, absolutus est. Denique anno 341, celebris est Athanasii appellatio, de qua agit Sozomenus *hist. l. 3, cap. 8, pag. 102, edit. Cantabrig;* ac Gelafius I. *ep. 13, ad Dardan apud Labbeum rom. 5, col. 329, edit. Vener.* habet hæc: „Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen, exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi græcorum non consensit, absolvit „ Atque hanc quidem appellationem in discrimen revocare ausus non est Constantius Arianus imperator, sed tantum apud Liberium egit, ut ejus quoque iudicio Athanasius damnaretur, sicuti patet ex dialoꝝ. inter Liberium, & Constantium apud Constantium *Epist. Pontif. roman. col. 433, & seq.* Sunt & alia harum appellationum Sardicensi Concilio antiquiorum exempla, quæ omnia præter cæteros collegit auctor dissertationis Romæ editæ 1768. *De appellationibus ad Romanum Pontificem.* Post Sardicense Concilium plura etiam sunt de his appellationibus monumenta. Nam sæculo IV. Eusthatius Episcopus cum in Concilio Melitinenſi Arianorum depositus fuisset

fuisse, Liberium Pontificem appellavit, a quo resti-
 tutus est. Eodem sæculo Petrus Alexandrinæ Ec-
 clesiæ Sacerdos, itemque Instantius, Salvianus, Prif-
 cillianus Apostolicam Sedem appellarunt. Initio V
 sæculi appellatio occurrit S. Jo. Chrysofomi, quam
 adversus Launorum, Du-Pinium, Quesnellum, Gian-
 nonium, Petrum de Marca, & cæteros late vindi-
 cant David *Jugemens Canoniq. chapit. 7, art. 5.*
 Natalis Alexander *loc. cit. pag. 466*, ibique Man-
 sius *in not.*, Pagius *in Baronium ad an. 404,*
num. 16, rom. 6, pag. 433, edit. Luca. Christianus
 Lupus *de Appellation. diff. I, c. 27.* Bian-
 chius *dell' Esterna Polizia della Chiesa tom. 5,*
part. 2, pag. 81, Zaccaria Anti-Febron. tom. 3,
pag. 503, & seq. Atque hæc quidem Chrysofomi
 appellatio, non fidei, sed meræ disciplinæ cau-
 sam respiciebat; undè deducitur, ut rectè monet
 Natalis Alexander *pag. 467*, jus appellationum ad
 Sedem Apostolicam, non tantum in rebus fidei,
 sed etiam disciplinæ. Pertinent ad idem sæculum
 V. appellationes Bubalii, & Taurianii ad Innocen-
 tium I, uti patet ex ejus *epist. ad Episc. Mace-*
don. apud Coustantium, *col. 841.* Cœlestii presby-
 teri & Patrocli Arelatensis ad Zosimum, qui utram-
 que memorat. *epist. ad Aurel. & ep. 5,* apud eum-
 dem Coustantium *col. 944, & 959,* item quatuor
 illæ ex Africa appellationes, quæ ab Augustino re-
 censentur, Pervii Episcopi, de quo loquitur Boni-

facius I. *ep. ad Rufum* 13, apud Constantium *col.* 1036. Eutherii Thyansenfis & Helladii Tartenfis, qui nomine Epifcoporum Euphratefif, utriufque Ciliciæ, Cappadociæ, fecundæ Bithyniæ, Theffaliæ & Mæfiæ ad Sixtum III confugerunt, uti conftat ex eorum Epiftola apud Constantium *col.* 1245, & *feq.* Idduæ Smirnenfis Epifcopi ad eundem Sixtum III, qui eam memorat. *ep.* 9, *num.* 3, *col.* 1266, apud Constantium. De Gallicanis appellationibus celebre eft teftimonium S. Leonis M., qui *epift.* 10 edit *Ballerin. rom.* 1, *col.* 634, inquit: „ A Gallicanis innumeris relationibus effe confultam Sedem Apoftolicam, & quemadmodum vetus confuetudo pofcebat, per diverfarum appellationum caufarum, aut retractata ab ea, aut confirmata fuiffe iudicia „ Mitto appellationes Chelidonii, Lupicini, Eutydiſtis, S. Flaviani, Theodoriti, Salomonis Presbyteri, Stephani Lariffæi, contumelioſi Epifcopi Rejenfis, cæteras, quarum magnus eft numerus, quæque ab iis, quos ſupra indicavi, ſcriptoribus accuratè deſcribuntur. Conſiſtam in appellationibus Honorati Archidiaconi Salonenfis, Feliciffimi, & Vincentii diaconorum, Hadriani Epifcopi Thebani, Joannis presbyteri Iſauriæ, Joannis presbyteri Chalcedonenfis, & Athanaſii monachi, Claudii abbatis, Pauli epifcopi Africani, Florentii epifcopi Epidauri, Donadei diaconi Numidiæ, Januarii Malacæ, Alcifonis Corcyrenfis, quarum ap-
pel-

pellationum omnium testis est S. Gregorius M. lib. 1, ep. 19, 20, opp. rom. 2, col. 503, 504, 566, lib. 3, ep. 6, 7, 8, 9, & 53, col. 627, seq. & col. 662, lib. 6, ep. 14, 15, 16, 24, 63, col. 804, 803, 809, 838. Lib. 12, ep. 8, col. 1186, lib. 13, ep. 45, col. 1250, seq. lib. 14, ep. 7, & 8, col. 1264, & 1266, edit. Paris. 1705. Vide etiam Ferrandum can. 59, apud Justellum *Biblirob. Jur. Can. rom. 1*, pag. 450, edit. Paris. & *Capitularia Caroli M. lib. 7, c. 315*, apud Baluzium. *Capitular. Reg. Franc. rom. 1*, col. 731, & cap. 412, col. 745, edit. Vener. 1772. Postremo rem concludam Gelasii I. verbis, ep. 4, seu in *commonitor. ad Faustum Magistrum. rom. 5, concil. col. 295, collect. Labbei cit. edit. Vener.* „ Nobis, inquit, opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ Sedi, sana rectaque suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluere deferri; ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.” Heus Tu! quam pingue & elephantinum hoc ergo tuum Mendacium! Et illud Tu Archiepiscopo tuo, Aula proceribus, Germaniæ nostræ Doctoribus, in Universitatis vestrae auspiciis diglutiendum obstruxisti! Homo monache! quanta, quanta, quamque immensa tua sit Impudentia, necesse est. Ab orbe condito non potuit

major Mendaciorum faber fuisse, hæcôque ego, nisi rem in Te jam experimento quodam didicissem, hominum quempiam ad hunc, qui summus certò est, temeritatis gradum potuisse pervenire. Lector, quæso, comparer hæc Hedderichii verba: *à sæculo 4 usque ad 8 nihil de Appellationibus cum adductis jam Monumentis, & experietur ipfus, sibi verba deesse ad exprimendam istius Mendacii magnitudinem. Atque hæc ad primum Parallelismi Specimen sufficiant. Ubi intellexero, pagellas hæcæ suo non caruisse fructu, pergam, demonstrabôque amplius, Doctrinam Bonnensem nullo pacto deinceps tolerari posse.*

Ad Te SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR ET ARCHIEPISCOPE! ad Vos ILLUSTRISSIMI, REVERENDISSIMIQUE Viri COMITES, & Metropolitanæ Colon. Ecclesiæ CANONICI! ad Vos Patriæ Colon. ad proxima comitia deputandi PATRES! ad Vos Universitatis Colon. DOCTORES! ad Vos, quicumque BONI & HONESTI estis, Viri! ad Vos, inquam, se mea itaque vertit Oratio, rogôque Te, Archiepiscope! primùm, ut, quod tui est in re hac gravissima muneris, non diutiùs negligendum putes. Nôsti, quas curas erigendum Lovanii generale Seminarium, & quæ inde timebatur Doctrinæ morumque Corruptela fecerit Archiepiscopo Mechliniensi, cæterisque Belgii Episcopis. Vides etiam
jam

jam, tuos, quos Bonnæ habes, Professores, illis Lovaniensibus, multò peiores esse, atque ab iisdem Juventutem Diœcesios tuarum bene, catholicæque institui non tantùm non posse, sed apertè corrupti. Quid facies? Toleres porro? Non licet; non potes. — Vos, ILLUSTRISSIMI, REVERENDISSIMIQUE VIRI COMITES, atque CANONICI! rogo secundò, ut, ubi opusculum hocce meum, exploratis & inspectis singulis à me citatis Locis, examinaveritis, inveneritisque, nihil calumniæ iis à me Professoribus fuisse impactum, sed sincerè eorum relatos esse Errores, Archiepiscopum adeatis, & quàm sit malo huic occurrèndi tempus summum demonstratis. — DEPUTANDI ad Comitìa VIRI! animadversionum vestrarum in istorum Professorum Doctrinam ultima ne sit, pariter rogo, atque obtestor. De prævertenda peste, de vindicanda ab Interitu Patria, de ipsa Religione agitur conservanda. Cogitate, qui vestri futuri sint Nepotes, si Vobis ab Avis sementis hæc aut non contrita plane fuerit, aut non radicitus evulsa! — Vos Ss. THEOLOGIE, quam Coloniarum Professi estis, DOCTORES! quousque tandem Catilinam Weidenbacensem vestrum intrare Confessum patiemini? Scitis, vidistis, ab isto sacrum Perturbatore scientiarum, immutatos, interpolatos, corruptosque fuisse Catholicorum Libros Authorum, atque novo adaptatos systemati, & cathedram ei nondum oclusistis! quid? Quod
post

post istos & multos & gravissimos Errores adhuc triumphet, Synodo interfit, ac eos, quos futuris vexaturus sit temporibus, è Vobis modo designet. Gires estis, si ad hos Religionis, suppressæque æquitatis clamores non expergefiatis. Nulline Vobis Calami? Atramentum nullum? Nulla Papyrus? Non ora, linguæ, non vox, non Latera amplius? Athanasius inter Vos nullus? Indormiitis iterum, ut olim Patres vestri tempore THEODORICI? Altera hæc nomini vestro inuratur ignominia? — Vos JURIS CANONICI PROFESSORES, qui Dies horas numero superatis, & de dandis ex invidiâ prope certatis Lectionibus publicis, Vos, si Viri estis, provocho, ut, inito Consilio, *Hedderichiana, Spitzialia, Weimeriana, & Froitzheimi* Vobis Errata in Capita dividatis, & singuli summa Dissertatione emuncta bene refutent. Quod nisi feceritis, *Coloniensis* Vos postulabo *Henricismi*, & Vacaturi cujuscunque Canonicatûs pronuntiabo indignos. Quid istud orium vestrum? Quid ille Torpor? Quid perpetua illa Dormitatio? Pepones estis, si cum GOLIATHIS istis arma non conferueritis! Ite adversus homines hos! homine minus sunt: Lapillo in frontem evibrato ruunt Centauri, & canunt Pæna puellæ. — BONI, HONESTIQUE demum VIRI! nihilne vobis operæ in hocce ardentis Trogæ negotio? Innotuit nihil, quod THADÆO, quod opponatis SCHNEIDERO? Non legistis & pri-

primo, germanicè deinceps legi debere Missam, Uxorem & Episcopum convenire bene, Polemicos profanum esse Vulgus, D. Petrum janitoris officio, ad quod ad alia inepti sublimiora in Monasteriis damnantur Monachi, functum, & solummodo functum fuisse? Non à secundo audiistis, Monachos apostatas, excusso Pontificum jugo, & magnos evasisse Oratores, & Ecclesiæ, ad quam transferunt, Ornamenta; Ceteros verò isto sub jugo sudantes vix aliquam Eloquentiæ Laudem esse adeptos? Annon vidistis, à THADDEO Paphnuri fabula & insigni de Synesio Mendacio Luxuriantibus Clericis haram aperiri? Eundem ne scire quidem, qualem nobis Christus suo sanguine pepererit Libertatem, cum dicat, insanam Pontificum dominandi libidinem, ut eandem opprimeret, stultuisse? *Conf.* ultima ejus commentatio biblica. Annon audiistis ex SCHNEIDERO, Christum altiorrem aliam non agnovisse Beatitatem, quam quæ in benefactis reperitur? — Hominem ante Jesu Christi adventum neque suas erga Deum habitudines (Verhältniße), neque, ad quem destinatus esset, finem, neque vera sua novisse officia? — Deum eò nos tantùm creasse, ut omnes aternùm beatos redderet? — Plurima abiisse sæcula, & innumeras hominum Myriades è Vivis cessisse, antequam homo sui ad Creatoris, suarumque erga ipsum habitudinum eluctaretur cognitionem? —

Paucissimos sublimiorum fuisse Ingeniorum, qui *far Virium* haberent, ad superanda sui temporis & Patriæ præjudicia, & rectius de Creatore sentiendum? — Eisdem paucissimos maximo cum metu incedere debuisse, ne fanaticismo Victima cederent? — Incapacem maximam mortalium partem fuisse, quæ ad primum creaturarum fontem cogitando ascenderet? — Alium esse Deum legis, alium Evangelii? — Illum iniquissimum, hanc verò esse ex toto bonum? — Religionem Christiani sapientis in tranquillâ, lætæque Bonorum vitæ fruitione consistere? — Deum, quem Christus prædicat, bonum esse Parentem salutem nostram *unice curantem*? — Providentiam eò omnia dirigere, ut gaudio & felicitate cumulentur creaturæ? Annon Schneideriana hæc Dogmata FORMATI BILICI! audiistis? Annon sunt hæc, quæ dogmaticus non ferat stomachus? Contra quæ sputat, quæque evomat & excretur?

Annon legistis in nuperâ THADDÆI Oratiunculâ, Deum ab intelligentibus hominibus *cæcam* exigere non posse *fidem*? — Deum *nobis gravissimè præcipere*, ut in Doctrinam de Divinitate JESU inquiramus? — In veteri Testamento *obscura tantum* esse Divinitatis Christi vestigia? — Inter Judæos, qui à Joanne per Baptismum *ad variationem sensus* (zur Sinnesänderung) initiabantur, comparuisse

se etiam Jesum? — Sabbathum, seu Diem requiei ex Mosaica mente Legis eò servivisse, ut operans hominum classis se refocillaret, de suâ gauderet existentia, Creatori gratias ageret, & ultiores ad Labores colligeret Vires? Quasi istâ die jejunium Judæi in seram usque Vesperam protrahere non debuissent. — Atque hæc quidem in primâ Parte habet ille Doctorum doctissimus. In alterâ oratiuncula parte ait, Plebis fidem, etiam symbolica veteris Testamenti linguâ nutritam, fuisse, ut Deus crederetur *Monarcha sui commodi sordidè studiosus* (ein eigennütziger Ausherrscher), quippe qui Mundum sui solius honoris gratia creasset, atque homines tantùm ad id in terra collocasset, ut sibi Domino ab iis tanquam mancipiis serviretur: qui ex arbitrio & Libidine leges scripserit, qui peccatis hominum irriteretur, qui iratus peccatores suæ justitiæ victimas postulet, nisi pœnis abs se sumtis Vindicem à se averterint gladium. — Fiduciæ nostræ in eo locum non esse. Timeri illum, ut timeri solet flagello armatus, & jam jam feriens Despota, — atque ex illo metu ad summum non nasci, nisi abjectum mancipiorum Servitium.

Habetis hic, Viri theologi! Materiem, quæ discussionem à Vobis expectat, copiosissimam. Defendite Deum, defendite Legem! ostendite blasphemias, & detractò cucullo confusionis Diploide
m-

induite hominem! postulo hoc à nomine vestro, ab officio vestro, à divina scientia vestra, quæ, nisi Dei Causam susceperit, egeritque pro Viribus, timeat, ne aliquando à Deo iudice ignoretur. Pelagianismi frustrà hactenus insimulastis Jesuitas; in SCHNEIDERO purus purissimus est, hisce expressus verbis: *Jesus Christus hat uns versichert, . . . daß es einzig von unsrer Willkühr abhängt, Uns die reinste Seligkeit auf immer zu bereiten.* Opera sua Refutatione istiusmodi Hæreses non indigent; solum, ut ostendatur, hæreses esse, necessum est, Scribite itaque tantum, ne quantum illi dederunt Errori, Vos negasse Veritati videamini.

Tu tandem, REVERENDISSIMÆ, EXCELENTISSIMÆQUE VIR AC DOMINE BARTHOLOMÆE PACCA, SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII VI, AD TRACTUM RHENI &c. &c. APOSTOLICE NUNCIE! Libellum hunc meum Romam mittere dignare, ut Sanctissimus ex eo propius discat, qui Lupi suas, christique oves in hisce terris dilacerent! scribe, suam à me moneri SANCTITATEM, Te & monachicum Nutricios hujatibus Ecclesiæ Hostibus non suthcere, in Germania nostræ Academiis non centum & unam damnabiles doceri propositiones, sed mille, & ultra; Te iis excerpendis, transferendis, perscribendique imparem, nec id unius duorumve hominum opus, sed decem, sed virginti, eorumque intruc-

instructissimorum esse hoc pensum Virorum. Suam
 interroga SANCTITATEM, an non expediat, hos esse
 EXEMPTOS ab omni Episcoporum Jurisdictione, ne,
 si & eorum pudeanda revelaverint, ab iisdem vex-
 entur. Adde, nostrorum hominum aures ad quæ-
 libet paterna insurduisse Monita; mugire debere
 vaticanam tandem Arcem; nisi enim veris icti ali-
 quando fuerint fulminibus, inermem porro credent
 esse Jovis Pharetram. Tam sunt ferrea frontis,
 tam ahenei pectoris illi tanquam de Caucaſo exec-
 ti Monachi! Ut & sua SANCTITAS intelligat, quæ
 fit Bonnensium Religio, verbulo velim significes,
 Thaddæum, Schneiderumque præparatoriis suis ad
 genethliaca Christi Salvatoris Festa Diſtionibus, in
 Sacello aulico habitis, ne voculâ quidem ad Pœ-
 nitentiam & dignam Eucharistiæ susceptionem ovi-
 culas istius Urbeculæ provocasse. An de abolen-
 dis istis duobus etiam ibi cogitetur Sacramentis,
 inde dubitari prope posset. Rem demum paucis
 ita expone, Bonnæ nihil agi aliud, quàm suam
 rideri, profcindique SANCTITATEM sub arreptâ Cu-
 riæ rom. Larvâ, & eâ id quidem sæpe Impuden-
 tiâ, ut ipsi etiam non pareatur Tiaræ: dein,
 quasi Patres eorum aut omnes cæci fuissent nati,
 aut perpetuâ laborassent ophthalmia, plurimum de
 Luce hujus sæculi à te & aucta jam modo, & in
 ipsum aliquando augenda Solem, esse sermonem,
 atque id omne, quod agant, esse. Quæ cum om-

nia ita nunciaveris, unum hoc à Te & me suæ
 SANCTITATI summopere commendatam esse volo,
 ut nobis Episcopum, qui, quo casu illi
 ad obedientiam non redierint, forma gregis sit ex
 animo, ut debet, procurare dignetur. AMEN!
 AMEN! AMEN! & post AMEN ALLELUJA *ex Tono*
paschali, ut demonstretur, è tenebris nos ad Lu-
 cem transiisse.

Lectori bevole

Indicem Tenebrarum, sive Nubium Bonnensium
 bene longum, quem Idem VAN DEN
 ELSKEN, Sole post Pascha diuturniore,
 scripturus est, hisce adnunciat PETRUS
 KAUFFMAN servus humillimus.